# ARISTOTELIS
## VERA DE RATIONALIS
## Animæ immortalitate
# SENTENTIA

Accuratè explicata ab

## AVGVSTINO OREGIO

Pontificijs Eleemoſynis generali Præfecto,

Sanctiſsimi Domini Noſtri VRBANI Octaui Theologo, & intimo Cubiculario, Baſilicæ Vaticanæ Canonico, Sanctæ, ac Vniuerſalis Romanæ Inquiſitionis Conſultore.

---

ROMAE,
Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ,
MDCXXXI.

*Superiorum Permiſſu.*

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apost.

A. Episcopus Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apost. Magister.

# LAVRENTIVS MARTINIVS

## Ad Lectorem.

HÆC de Animæ rationalis immortalitate Disputatio Tractatui Theologico de Opere Sex Dierum ab Auctore inserta, cur a me toti Operi præmittatur donec cætera, quæ iam sub prælo sunt, typis euulgentur, causa fuit doctissimorum Hominum id publicæ vtilitati expedire asserentium postulatio, & eorum auctoritas, quorum nutum pro imperio haberi decet. Hanc autem veram Aristotelis esse sententiam ita spondeo Lectoribus, vt me vnum omnibus qui aliter senserint publicis disceptationibus per integram hebdomadam Romæ habendis pro veritate responsurum esse pollicear, loco, ac tempore

pore

*pore ijs accommodato; qui ſuis argumentationibus honeſtare voluerint meos viginti Annorum labores in perſcribendis, & addiſcendis quæ intra domeſticos parietes diurnis ſtudijs, nocturniſq; lucubrationibus ab Auctore multorum profectui excogitata diſponebantur.*

# QVAERITVR V.

## *QVID DE HVMANI ANIMI immortalitate ſenſerit Philoſophus.*

VT quæſito ſatisfiat,

Supponendum primo ex Ariſtotele, idem eſſe quærere, an Anima ſit immortalis, ac quærere, an Anima ſit a corpore ſeparabilis: ex eo enim quod a corpore ſeparata exiſtere poſsit, immortalis conuincitur eſſe; atque hic eſt communis Peripateticorum ſenſus ab ipſo Philoſopho expreſſus lib. 1. de Anima tex. 12. & 13. & lib. 3. tex. 7. Nam cæteræ formæ, quæ deſinunt eſſe cum a materia ſeparantur, inſeparabiles dicuntur.

Quod enim ſine alio exiſtere non poteſt, inſeparabile ab illo dicitur.

Quod verò exiſtere poteſt ſine eo, cum quo coniunctum eſt, ſeparabile eſt.

Dum ergo quæritur, an Anima ſit ſeparabilis, idem eſt ac quærere, an ſine corpore poſſit exiſtere: quæ ſi ſemel abſque corpore exiſtat; nulla eſt ratio quæ conuincat, ipſam non poſſe æterno tempore durare, vel abſque fine ſemper permanere in eſſe, ſi ſimplex ſit, & impermixta, vt eam ponit Philoſophus a tex. 1. vſque ad 20. lib. 3. de Anima: ſimplicia namq.

per dissolutionem interire non possunt.

Quare si semel absque eo cum quo coniuncta est corpore anima possit existere; semper etiam separata existere poterit.

Supponendum secundo hanc quæstionem a Philosopho fuisse propositam lib. 1. de Anima post multas alias a tex. 12. & 13. modum inuestigandi ex operatione petendum; si enim habeat propriam operationem ea pars Animæ qua homo intelligit & sapit, continget vtique ipsam a corpore separari, sin autem propriam operationem non habeat, non continget vtique separari: cui quæsito vt respondeat Philosophus, a tex. 1. lib. 3. de Anima incipit ponere fundamenta; proprius enim locus agendi de humano intellectu erat post quæstiones illas, quæ de Anima in communi, vegetante, atque sentiente erant discutiendæ, vt obseruaret methodum, quam obseruandam dixit lib. 1. Phys. cap. 3. vbi docuit ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia esse progrediendum; quod & in casu nostro obseruasse Philosophum, patet ex ijs dubitationibus, quas ab initio libri primi vsque ad tex. 12. proposuerat; & ex ijs quæ incipit tractare a tex. 19. eiusdem libri vsque ad initium libri tertij: cum igitur in fine lib 2. de sentiente Anima terminasset sermonem; tex. 1. lib. 3. ait sibi quærendum esse de ea parte Animæ, qua Homo, seu

Anima

Anima ipſa intelligit & ſapit, quam habeat differentiam, & quomodo fiat ipſum intelligere: quibus intellectis, ea manet etiam ſoluta quęſtio, vtrum humanus animus ſit a corpore ſeparabilis, impermixtus, atque immortalis.

His poſitis.

Reſpondetur, Dicendum. In ſententia Philoſophi humanus animus eſt immortalis, ſeu quod idem eſt, vt antea dicebamus, a corpore ſeparabilis.

Probatur; quia ex Ariſtotele tex. 13. lib. 1. de Anima, ille actus, ſeu forma eſt a corpore ſeparabilis, qui habet propriam operationem, ideſt eam operationem ad quam exercendam non vtitur inſtrumento corporeo: quæ enim inſtrumento corporeo exercentur operationes ab Animanti, non ſunt ſolius Animæ, ſed & habentis, ideſt corporis, quo ad agendum vtitur; vt videre, non eſt ſolius animæ ſed etiam oculi.

Verum ex eodem Philoſopho, Anima humana habet propriam operationem, ad quam exercendã non vtitur inſtrumento corporeo.

Igitur humanus Animus eſt ſeparabilis a corpore, atque immortalis.

Minor probatur ex eodem Ariſtotele lib. 3. de Anima tex. 6. vbi habet nullum intellectui eſſe inſtrumentum corporeum quo vtatur ad intelligendum, quemadmodum ſenſus inſtru-

mento vtitur corporeo ad sentiendum.

Quod confirmat Philosophus tex. 7. vbi a corpore intellectum separabilem concludit ex eo quod propriam operationem habeat ab organo corporeo independentem; quod vnum principium esse docuit ad inuestigandum, vtrum humanus animus sit a corpore separabilis, si nempe propriam habeat operationem, quæ sit solius Animæ, & non habentis, idest corporei organi quo ad intelligendum vtatur.

In sententia igitur Philosophi Intellectus propriam habet operationem, ad quam exercendam non vtitur instrumento corporeo; & per consequens est simplex, atque impermixtus, a corpore separabilis, & immortalis: intelligendo enim nihil recipit, quod aut interitum moliatur, aut ad illum disponat. Et ideo impassibilis dicitur tex.3. lib.3. de Anima, licet susceptiuus sit formæ, idest intelligibilis speciei, quam recipiendo necesse est patiatur. recipere namque est pati.

Verum, quia intellectus recipiendo species perficitur tantum; nec quicquam aut ratione sui, aut ratione organi, cum illo careat, recipere posſit, quod eius interitum moliatur, impassibilis dicitur; quia pati non potest actione destruente, sed perficiente tantum.

Sicut e contra sensus pati potest etiam destruente passione: nam ratione sensorij, quod

pati

pati potest destruitur sensus, quamuis recipiendo species perficiatur. Visus namque visibiles recipiendo species perficitur; sed quia oculus quod eius est sensorium patitur etiam destruente passione, vt experimur quotidie: Hinc fit vt visus etiam, seu videndi facultas, quæ ab organo pendet, destruatur.

Ex eo igitur quod intellectus habeat propriam operationem, quam exercet absque instrumento corporeo, & quæ solius Animæ propria est operatio, tex.7. lib. 3. de Anima concludit Philosophus intellectum a corpore separabilem, & per consequens immortalem.

Ex operatione enim ad substantiam tamquam ab effectu ad causam perueniendi tutissima est homini via; cuius rei etiam indicium est; quia [a] facile est omnes quæ in contrarium adducuntur difficultates soluere postquam per propriam operationem alicuius rei propria substantia cognita est.

[a] Arist. lib 4. Phys.tex 47.

Recta igitur ratione Philosophus ex propria intellectus operatione impassibilem illum, simplicem, impermixtum, ac separabilem, & per consequens immortalem probat; quod sibi inquirendum proposuit tex. 12. & 13. lib. 1. de Anima, & ex operatione probauit, & confirmauit a textu primo libri tertij vsque ad 20. etiam obiectis satisfaciendo, vt videre est a tex. 12. vsque ad 20. vbi sibi obijcere

cere incipit, & difficultates deinceps soluit.

Nam obijcienti quod intelligere sit quoddam pati, idest fieri per receptionem specierum.

Intellectus autem si est simplex, impermixtus, & separabilis, altioris ordinis, atque naturæ erit, a corpore minimè potens actionem recipere; cum non communicet cum illo in materia.

Quæ enim inferioris sunt ordinis, non possunt agere in ea quæ sunt ordinis superioris.

Quare nihil Intelligentiæ qui sunt actus a materia separati, a corpore recipiendo pati possunt.

Eodem igitur modo & intellectus si simplex, impermixtus, non communicans in materia cum corporibus, & separabilis ab illis est, nihil poterit a corporibus recipere, per quod ad eadem corpora intelligenda determinetur.

Huic difficultati vt satisfaciat Aristoteles, a tex. 17. eiusdem libri duplicem in ea parte, qua intelligit Anima, ponit facultatem, vnam quam intellectum agentem dicimus, cuius officium est producere species, alteram patientem seu possibilem, cuius est easdem species recipere, & illis receptis in se ipsa producere intelligendi actum.

Et ita soluta est difficultas illa, quomodo possit intellectus intelligere si separabilis est, & in-

& intelligere ſit quoddam pati,ſeu quod idem eſt, fiat per receptionem ſpecierum; nam intellectus qui poſſibilis dicitur, quique ea pars Animæ eſt, qua homo intelligit & ſapit, nihil recipit a corporibus quo ad intelligendum determinetur; ſed intellectus agens, qui etiam eſt impermixtus, ſeparabilis, atque immortalis, vt idem Philoſophus dicit tex.19. lib.3. in intellectum poſsibilem producit ſpecies, quibus ad intelligendum determinatur.

Hanc autem ſolutionem inſinuare cœpit Ariſtot. tex.14. in memoriam reuocans quot modis aliquid dicatur pati. Et cum tex.3. dixiſſet intellectum deſtruente ſcilicet paſſione pati non poſſe; Reſtabat tantum vt perficiente paſsione diceretur pati;qui cum ſit ſuperioris ordinis a corporibus, ad ea intelligenda recipit ſpecies ab intellectu agente.

Quod ſi quis contra eundem Philoſophum vlterius inſtet: ex ijs quæ de intellectu agente, & patiente ab eo dicta ſunt facilè intelligi poſſe quomodo Anima in corpore exiſtens poſsit intelligere per ſpecies ab agente intellectu productas in patientem; quia intellectus agens in corpore exiſtens ob connexionem naturalem quæ eſt inter ipſum,& Phantaſiam poteſt determinari ad producendas ſpecies ipſa Phantaſia operante; ſunt enim eiuſdem Animæ facultates; quamuis intellectus ſolius

Animæ

Animæ; & imaginatio seu Phantasia etiam habentis, ideſt corporis ſit facultas.

At verò Anima ſeparata nullius ſenſus externi, aut interni operationem exercere poteſt.

Igitur non habebit tunc intellectus qui eſt facultas animæ ſeparatæ, a quo determinetur, aut ad producendas ſpecies, aut ad intelligendum.

Huic difficultati reſpondet Philoſophus dum tex. 20. lib. 3. de Anima dicit, ſeparatus autem intellectus hoc ſolum eſt quod quidem eſt, ideſt dicit ſuam puram eſſentiam cum exiſtentia coniunctam, cuius conſideratio non eſt Phyſici, ſed Metaphyſici.

Nam vt ipſe docuit lib. 2. Phyſic. text. 26. Phyſicus humanam Animam vſque ad aliquid conſiderat, exactius autem de Anima Humana a corpore ſeparata quæſtiones determinare primæ Philoſophiæ eſt opus: quod idem ad eandem quæſtionem diſſoluendam docet lib. 1. de Anima tex. 17.

Ex ſolutione igitur huius difficultatis quam propoſuerat Ariſtoteles tex. 12. lib. 3. de Anima, ſatis conſtat humanum intellectum impermixtum eſſe corpori, ſeparabilem, atque immortalem: quia nihil poteſt ab obiecto corporeo recipere, per quod determinetur ad intelligendum; ſed requiritur impermixta, ſeparabiliſq. facultas, quæ eſt intellectus agens, qui

produ-

producat ſpecies in poſsibilem intellectum.

Nec minus confirmat intellectus impaſsibilitatem, ſimplicitatem, impermixtionem, ſeparabilitatem, atque immortalitatem ſolutio eorum, quæ ſibi obijcit Philoſophus tex. 13. nam ſi intellectus ſe ipſum intelligit, quia intellectilis & ipſe eſt: cum quæcunque intelliguntur intelligibilia ſint, illa etiam intelligent: Quare & corpora omnia, quæ intelliguntur intelligent etiam.

Reſpondet enim, quæ ſine materia ſunt, ſuique ſubſtantia, & eſſentia ſunt intelligibilia, illa eadem etiam intelligere ſecundum eam rationem, ſecundùm quam intellectilia ſunt. Ariſt. lib. 3. de Anima tex. 15.

Sed res corporeę ſui eſſentia, atque ſubſtantia non ſunt intellectiles, ſed ratione ſpecierum; Et ideo non ſimul ſunt & intellectiles, & intelligentes, ſicut ea quæ ſunt penitus quoad ſui ſubſtantiam immaterialia, qualis eſt intellectus, qui immaterialis, ſimplex, & ſeparabilis eſt ſui ſubſtantia, & intelligi, & intelligere aptus; qui in corpore exiſtens non intelligit etiam ſe ipſum, niſi per ſpecies intelligibiles rerum ſenſibilium: modus enim operandi ſequitur modum exiſtendi; & cum intellectus dum Anima in corpore exiſtit Hominis ſit facultas, qui eſt materiale compoſitum, atque corporeum; naturale eſt etiam ipſi intellectui, vt non operetur niſi [a] præcedente externorum, [a] Ariſt. text. 39. lib. 3. de Anima.

B atque

atque internorum ſenſuum operatione, & vt intelligat non ſolum materialia per ſpecies rerum ſenſibilium, verum & immaterialia, qualis eſt Animi ſubſtantia, Intelligentiæ, atque Deus.

Quare melius eſt intellectui ſine corpore quàm cum corpore eſſe, vt docet Ariſtoteles tex. 49. lib. 1. de Anima.

Separatus namque intellectus erit tunc aptus ſe ipſum intelligere abſque ſpecie per ſui ſubſtantiam, quæ ſimul erit id quod intelligit, & intelligitur, in ſe ipſo cognoſcens quicquid in eo eſt, & quicquid cum ipſo neceſſariam habet connexionem, vt primam Cauſam Deum, a quo cognoſcet ſe eſſentialiter dependere. clarè namque, atque intuitiuè tunc cognoſcens ſui ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, cognoſcet ſe eſſentialiter dependere ab eo quod eſt per eſſentiam: atque ita multò plura, & perfectiori modo de Deo extra corpus exiſtens cognoſcere poterit per ſui ſubſtantiam, quàm in corpore exiſtens per ſpecies rerũ ſenſibilium.

Et ſi poſt mortem remanent ſpecies rerum, quas in corpore intelleximus, illæ eædem ab intellectu cognoſcentur, & quæ per ipſas repræſentantur.

Verum in ſententia etiam Philoſophi quantum conijcere poſſum, non abſurdum erit vt recurramus ad primam cauſam, quæ producat

ſpecies

ſpecies in intellectum ſeparatum iuxta illius exigentiam, vt poſſit intelligere alia a ſe. Nam & ipſa etiam ſola humano diſpoſito corpore ad recipiendum intelligentem Animum, eundem intelligentem Animum in corpore producit; qui eſt Hominis ratio, vt ex eodem Ariſtotele lib. 2. de generatione Animalium cap. 3. & 1. de Anima tex. 65. infra dicemus, dum ſatisfiet obiectis. Quod & de humano Animo in corpore exiſtente dicunt ij, qui, licet falsò, intellectum agentem Deum ponunt, qui producat ſpecies in poſſibilem intellectum.

Igitur abſurdum non erit ſi dicamus naturæ Parentem in ſeparatum intellectum producere ſpecies, quibus intelligat, habeatque perfectiſſimam operationem, quæ eſt contemplatio circa præſtantiſsimum obiectum, qui eſt Deus, quæ aſsidua ſit, ac ſemper maneat, & cum qua ſit coniuncta perfecta voluptas; in quibus omnibus conſiſtit perfecta felicitas: quam licet habere non poſsit Homo qua ratione coniunctum quoddam eſt diſſolubile; quatenus tamen intelligens, atque intellectus eſt, qui eſt eius præcipua ratio, quaque diuinum eſſe participat, quam intellectus adipiſcitur felicitatem conſequitur Homo: qui & ſi per diſſolutionem deſinat eſſe; ſecundùm eam tamen partem, quæ in ipſo diuiniſsima eſt, ſemper permanet cum perfectiſsimo actu, qui eſt contem-

contemplatio, cum quo est coniuncta perfecta voluptas, quæ sit absque anxietate, aut timore amittendi, quod ex intellectus perpetuitate, aut immortalitate habetur; vt colligere est ex ijs quæ docet Philosophus cap. 7. lib. 10. Ethicorum.

Melius est igitur intellectui sine corpore quàm in corpore esse, vt docebat Aristoteles contextu 49. lib. 1. de Anima.

Extra corpus namque propriam consequi potest felicitatem, vbi absque negocio erit in perfecto ocio cum contemplatione, quæ non est laboriosa, sed summa cum quiete coniuncta, & quæ adeptio est vltimi, ac perfectissimi finis. Cui semper & contemplatione, & amore si adhæreat absque amittendi timore, felix erit.

Felix namque ille est, qui nunquam efficitur miser, Ex Philosopho lib. 1. Ethic. cap. 10. quam felicitatem mortuis etiam concedere videtur eodem lib. 1. cap. 11. dum docet; conferre Defunctis prosperos Amicorum successus, & infortunia, ita tamen ac tantum, vt neque felices reddere infelices, neque quicpiam tale efficere valeant.

Ex his igitur omnibus quæ dicta sunt ex Philosopho patet, humanum Animum impassibilem, impermixtum, ac simplicem esse, a corpore separabilem, atque immortalem: cum hanc

hanc quæſtionem propoſuerit; quæſito reſpondendo ſatisfecerit; quæſiti reſponſionem probauerit; ac tandem quæ in contrarium obijciebantur rationes ſoluerit.

Textu namque 12. & 13. lib. 1. quæſtionem proponit, & in vtramque partem rationes dubitandi adducit. a tex. 1. lib. 3. de Anima quæſito vt reſpondeat, proponit aliqua, ex quibus intellectus impaſſibilitatem, impermixtionem, ac ſeparabilitatem, & per conſequens immortalitatē concludit, probat, & confirmat. tex. 12. ſibi obijcit, & vſque ad vigeſimum docet quomodo obiectis ſit ſatisfaciendum.

Et textu eodem 20. dicens, Intellectum ſeparatum hoc ſolum eſſe, quod quidem eſt, confirmat quod tacitè obijcienti reſponderat tex. 17. lib. 1. de Anima, quomodo ſcilicet Phyſicus poſsit agere de Anima, ſi ſeparabilis eſt, & ipſe agat de formis in corpore exiſtentibus.

Quatenus enim humanus Animus eſt in corpore exiſtens eſt Phyſicæ conſiderationis; quatenus verò ſeparatus eſt, de ipſo conſiderare, atque determinare primæ Philoſophiæ eſt opus: quod tex. 20. lib. 3. de Anima paucis verbis inſinuat dum dicit. ſeparatus autem intellectus hoc ſolum eſt quod quidem eſt.

Et tex. 26. lib. 2. Phyſicorum expreſsè dixerat, de humana Anima quatenus eſt a corpore ſepa-

ſeparabilis primæ Philoſophiæ opus eſſe determinare.

Nec quæ de Intellectus humani immortalitate poſuit, probauit, & confirmauit Philoſophus a tex. 1. lib.3. de Anima vſque ad 20. infirmant quæ in contrarium adducuntur rationes; vt ex reſponſione ad obiecta conſtabit, quæ omnes ſoluentur ex eo, quod intellectus habeat propriam operationem, quæ ipſum impaſsibilem, impermixtum, a corpore ſeparabilem, atque immortalem demonſtrat.

## OBIICIES I.

EX Philoſopho lib.2. de Anima tex.4.5.& 6. Anima eſt actus corporis organici potentia vitam habentis: quod maximè probatur ex eo quod Anima eſt id quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus; vt docet idem Philoſophus tex.24. eiuſdem libri.

Quilibet igitur Animæ gradus eſt actus corporis organici; & per conſequens etiam humanus animus, cuius facultas eſt intellectus.

Habebit ergo intellectus in corpore partem aliquam qua tanquam inſtrumento ad intelligendum vtatur.

Quod ſi dicatur, non habebit propriam operationem, nec erit a corpore ſeparabilis.

Reſpondetur: Humanum Animum, cuius

ſolius

ſolius eſt intellectus facultas, in corpore eſſe, eiuſque formam eſſe: ſed non corrumpi; vt docet Philoſophus tex. 65. lib. 1. de Anima; quia vt idem habet lib. 3. tex. 6. & 7. intellectui nullum eſt inſtrumentum quo vtatur ad intelligendum; ſicut ſenſui eſt ſenſorium quo vtitur ad ſentiendum; & per conſequens ſenſus non poteſt ſine corpore eſſe: intellectus autem ſeparabilis eſt; qui quamuis in corpore exiſtens ſenſuum tam externorum quàm internorum prærequirat operationem, ipſe tamen impaſſibilis eſt, nec poteſt quicquam recipere quod aut ipſum deſtruat, aut ad interitum diſponat, vt docuit idem Ariſtot. lib. 3. de Anima tex. 5.

Maneat igitur in ſententia Philoſophi, etiam ſi humanus Animus ſit actus corporis organici, & per conſequens aliquid corporis, vt tex. 26. lib. 2. de Anima; ipſum tamen ſeparabilem a corpore eſſe; quia habet propriam operationem, quam etiam in corpore exiſtens ſe ſolo exercet: quamuis ſenſuum operatio eius operationem ordine naturæ præcedat; qui ratione modi operandi; quem in corpore habet requirit etiam organicum corpus, in quo ſint inſtrumenta tam ad externas, quàm internas ſenſationes eliciendas, quæ prærequiruntur vt in [a] corpore exiſtens intelligere poſſit: quamuis nullo inſtrumento corporeo ad intelligendum vtatur. Ex quo ipſum ſeparabilem,

[a] Ariſt. lib 3. de anima tex. 39.

rabilem, & immortalem docet Philoſophus lib.3. de Anima tex.6.& 7.& vſque ad 20.confirmat etiam obiecta diluendo.

## OBIICIES II.

EX Philoſopho lib.3. de Anima tex. 1. vbi acturus de ea parte Animæ qua intelligit & ſapit Homo, docet ſibi quærendum eſſe quam habeat differentiam, & quomodo fiat ipſum intelligere,ea neglecta quæſtione,vtrum magnitudine, an ratione tantum ſit ſeparabilis intellectus.

Igitur primis textibus lib.3.non eam ſoluit quæſtionem, vtrum ea pars Animæ qua intelligit & ſapit ſit a corpore ſeparabilis, cum eam tex. 1. negligat.

Reſpondetur: ex eo quod Philoſophus inquirat quæ ſit intellectus differentia, & quomodo fiat ipſum intelligere,eam diſſoluit quæſtionem, vtrum intellectus ſit a corpore ſeparabilis; & a corpore ſeparabilẽ, impermixtum, & immortalem docet ex eo quod habeat propriam operationem, quæ eſt intelligere, quod abſque corporeo organo exercetur.

Arist. a tex.1. lib.3. de Anima vſque ad 20

Quare non negligit hanc quæſtionem,quam ipſe ſe inueſtigaturum pollicitus eſt ex operatione, ex qua concludit, probat, & confirmat intellectus a corpore ſeparationem, impermixtionem, atque perpetuitatem.

Arist. tex.12. & 13 lib.1.de Anima.

Verum

Verum aliam negligit quæſtionem, quam etiam neglexerat Ariſtoteles tex. 21. lib.2. de Anima, an ſcilicet intellectus ſit in diſtincta corporis parte ab alijs Animæ facultatibus, ſeu partibus, vegetante nempe, ac ſentiente. Et ob eam ſolum rationem hanc quæſtionem reſpuit; quia intellectus videtur genus aliud Animæ eſſe, quod ſolum de facto contingit ſeparari quemadmodum perpetuum a corruptibili, vt eiuſdem græci textus verba poſtrema expreſsè demonſtrant.

*Καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ.* tex. 21. lib.2. de Anima.

Et hoc ſolum contingit ſeparari quemadmodum perpetuum a corruptibili.

Quod verò hanc quæſtionem etiam tex. 1. lib.3. reijciat, ex ipſius verbis manifeſtè concluditur; negligit enim quærere, vtrum ratione, ſeu eſſentia tantum; an verò etiam magnitudine ſit ſeparabilis ea pars Animæ qua intelligit, ac ſapit Homo, vel vt Philoſophus loquitur, Anima, non quidem a corpore, a quo [a] inferius demonſtrat ſeparari, docens quomodo fiat ipſum intelligere; ſed ab alijs Animæ partibus, quæ cum nullam aliam habeant magnitudinem quàm ſubiecti, ſeu corporis cuius ſunt actus, nihil aliud negligit quærere, quàm an ea pars Animæ, qua homo intelligit & ſapit, ſit in deſtincta parte ſubiecti, in qua non ſint

[a] a tex 1. li.3. vſque ad 20.

vegetandi, ac ſentiendi facultas, & quam ea pars, qua Anima intelligit ac ſapit contineat; quod tex.92.lib.1. de Anima nec facilè fingi poſſe affirmat; cum nulla vtatur ad intelligendum, vt docet lib.3. de Anima tex.6.& 7.

Aliud igitur eſt quærere, vtrum Anima ſit a corpore ſeparabilis; & quærere, an magnitudine, vel ratione tantum ſit ſeparabilis ab alijs humani animi partibus.

Hanc neglexit; illam non poterat negligere, ſi quærere volebat differentiam intellectus ab alijs Animæ partibus, & quomodo fieret ipſum intelligere; ex quo ipſe demonſtrat intellectum impaſsibilem, ſeparabilem, impermixtum, atque immortalem eſſe ex eo quod intelligat non vtens inſtrumento corporeo; ſicut ſenſus ſenſorio quod eſt corpus vtitur. vt idem Ariſt. tex.6.& 7.lib.3. de Anima.

Et hanc quam negligit quæſtionem tex.19. lib.2. explicat alijs terminis, idem tamen ſignificantibus; vtrum ſcilicet ratione tantum, an loco ſint partes Animæ ſeparabiles, quod idem erat ac quærere, vtrum in eadem parte ſubiecti, vel corporis eſſent omnes Animæ facultates; [a] quod cum experimento Plantarum, atque inſectorum de alijs Animæ partibus affirmaſſet: de intellectu nihil determinare voluit; quia [b] genus aliud Animæ erat, quod contingit de facto ſeparari, a corpore ſcilicet, ſicut

[a] tex.20.lib.2. de Anima.

[b] tex.21.lib.2. de Anima.

ſicut perpetuum a corruptibili. Et ideo docuerat lib.1.tex.92.nec facile fingi poſſe quam corporis partem contineat Anima, cum nulla ad operandum vtatur. tex.6.& 7.lib. 3. de Anima.

Et hinc ſequitur ipſam habere propriam operationem, quæ eſt ipſum intelligere: ex quo impaſſibilitatem, impermixtionem, ac ſeparabilitatem a corpore, & per conſequens perpetuitatem intellectus humani probat & confirmat Philoſophus primis lib.3.de Anima textibus vſque ad 20.etiam obiecta diluens.

## OBIICIES III.

EX eodem Ariſtotele lib. 1. Phyſ. tex. 83. Phyſici eſt agere de formis phyſicis, & corruptibilibus.

Sed ad Phyſicum ſpectat agere de Anima, & præſertim humana, ex eodem Philoſopho lib.1. de Anima tex.7. & lib. 2. Phyſic. tex. 26.

Humana igitur Anima non eſt ortus, atque interitus expers iuxta Philoſophi ſententiam.

Reſpōdetur.Ex textu illo 83.lib.1.Phyſ.nihil deduci poteſt contra Animæ immortalitatem. Nam ſi dicamus Philoſophum dixiſſe ibi ſe in Phyſicis acturum de formis rerum corruptibilium, Anima autem eſt forma Hominis qui generari atque corrumpi poteſt, quamuis ipſa

tex.32. lib.2. de Anima. ſit interitus expers, & textus græcus hanc admittit verſionem, vt legenti patet.

tex.83. lib.1. Phyſ. Περὶ δὲ τῶν φυσικῶν, καὶ τῶν φθαρτῶν εἰδῶν, ἐν τοῖς ὕστερον δεικνυμένοις ἐροῦμεν.

De Phyſicis autem, & corruptibilium formis in poſterius demonſtrandis dicemus.

Et eſt id doctrinę Philoſophi congruum, qui ſemper inferius in Phyſicis agit tantum de formis rerum corruptibilium. nam & homo cuius eſt forma, & ratio intelligẽs anima, corruptibilis eſt; licet ipſa ſit immortalis, ſeu a corpore ſeparabilis, poſt quod remanet, ex tex.17.lib.12. Metaph. cum habeat propriam operationem, quam exercet non vtens inſtrumento corporeo, ex Ariſt.lib.3. de Anima contex.6.& 7.

Quod ſi quis vulgatam velit retinere verſionem textus illius 83.lib.1. Phyſ. adhuc tamen ex Philoſophi doctrina reſpondere poſſumus, Animam ratione modi quo vnitur corpori, & hominis pars eſt, ad Phyſicumque pertinet, generabilem, atque corruptibilem eſſe; quamuis ſi conſideretur eius natura, & eſſentia poſſit a corpore ſeparari, & ad primam Philoſophiam pertinere; vt idem docet Philoſophus tex.26.lib.2. Phyſ. & tex.17. lib.1. de Anima, vt hanc ſolueret difficultatem. Nam cum dixiſſet tex.2.7.& 8.lib.1.de Anima ad Phyſicum ſpectare agere de Anima, & præſertim humana, & a tex.12. & 13. hanc quæſtionem propoſuiſ-

poſuiſſet, an Anima ſit a corpore ſeparabilis, & extra illud apta exiſtere, & per conſequens immortalis, poſuiſſetq. principia, quibus hæc veritas inueniri poteſt; ne illi obijceretur, ad Phyſicum non ſpectare agere de formis ſeparatis, ſeu ſeparabilibus, quæ ſine corpore eſſe poſſunt: vt huic difficultati ſatisfaceret, docuit vnam & eandem rem diuerſimode conſideratam ad diuerſas ſcientias pertinere poſſe; qua occaſione [a] differentiam inter phyſicam, mathematicam, & metaphyſicam abſtractionem ponit: ſicut etiam lib.2. Phyſic. tex.18. docet quantitatem quatenus corporis eſt terminus ad Phyſicum pertinere; ad Mathematicum autem qua ratione abſtrahit ab omni corpore, non re, ſed ratione.

[a] tex.17.li.1. de Anima.

Et tex.26. eiuſdem lib. ad Phyſicum docet pertinere agere de forma etiam Hominis vſque ad aliquid; de eadem autem vt ſeparabili primæ Philoſophiæ officium determinare.

Igitur Anima in ſententia Philoſophi quoad modum exiſtendi quem habet in corpore ſecundùm quem modum eſt conſiderationis Phyſicæ, poteſt deſinere eſſe; quamuis eius ſubſtantia ſit interitus expers: ſecundùm quam ſubſtantiam vt ſeparata exiſtens Anima a corpore re & ratione eſt metaphyſicæ contemplationis, vt idem Philoſophus docet lib. 2. Phyſ. tex.26. & lib.1. de Anima tex.17.

Neque

Neque video ad quem effectum potuerit agere Ariſtoteles lib.1. de Anima tex.17. de ſcientiarũ diuiſione atque abſtractione,niſi vt hanc difficultatem ſolueret; quomodo ſcilicet Anima ſi eſt à corpore ſeparabilis ſit phyſicæ conſiderationis quæ formas in materia tãtum vt exiſtentes conſiderat: ex Ariſtot. de partibus animalium cap.1. lib.1.

Idque confirmatur ex eo quod Philoſophus docuit tex.16.& 17.lib.12.Met. vbi docet formam quæ eſt rei ratio non præexiſtere illi rei cuius eſt forma,licet nihil prohibeat poſteriùs permanere Animam, non quidem omnem, ſed intellectum.

Poteſt igitur intellectus in ſententia Philoſophi deſinere eſſe in corpore, & tamen ſimpliciter & abſolutè quoad ſui ſubſtantiam permanere poſterius; ſecundùm quem ſtatum eſt metaphyſicæ conſiderationis, vt docet Philoſophus lib.2. Phyſ. tex. 26. & lib.1. de Anima tex.17. ad hanc ipſam quæſtõnem diſſoluendam. Quod colligitur etiam ex ijs,quæ docet de partibus animalium lib.1.cap.1.

## OBIICIES IV.

EX Philoſopho tex.12. lib.1.de Anima. Si intelligere eſt imaginatio quædam, aut non ſine imaginatione,non continget vtique ipſum ſine corpore eſſe.

Sed

Sed tex. 30. & 39. lib. 3. de Anima docet Ariſtoteles intelligentem phantaſmata contemplari, & intellectiones non eſſe ſine phantaſmatibus.

Igitur non operatur ſine imaginatione intellectus, cum non ſit ſine phantaſmatibus quæ imaginationis ſunt.

Ergo non eſt a corpore ſeparabilis.

Reſpondetur. ſine dubio ipſum intelligere in ſententia Philoſophi non eſt imaginatio, vt videre eſt tum alibi, tum a tex. 155. vſque ad finem lib. 2. de Anima..

Neque hac de re poteſt eſſe inter Peripateticos controuerſia, ſi volunt hominem ab ijs quæ ratione carent Animantibus ſeparare.

Ad hoc verò vt ita poſſit eſſe ipſum intelligere ſine imaginatione, vt intellectus dicatur eſſe ſeparabilis, impermixtus, atque immortalis, ſat eſt vt nihil imaginatio in intellectum agendo producat; quod plus quàm certum eſt in ſententia Philoſophi.

Non enim poteſt producere ſpecies intelligibiles; quia ad has producendas ponit Ariſtoteles intellectum agentem a tex. 17. lib. 3. de Anima.

Non producit etiam intelligendi actum. Nam hic abſque inſtrumento corporeo ex eodem Ariſtotele producitur ab eo qui eſt poſſibilis intellectus, qui ea pars Animæ eſt qua intelligit

telligit & ſapit homo, quæ ſine dubio non eſt imaginatio; ex eodem Philoſopho a tex.155. lib.2. de Anima.

Eſt igitur intelligere ipſum a ſolo intellectu vel agente ſi cauſaliter loquamur, vel poſſibili ſi formaliter: Et ideo Anima in corpore exiſtens habet propriam operationem, quæ eſt ſolius Animæ, quam exercet ſe ſola, & quæ ipſam ſeparabilem demonſtrat.

Ergo ſi intelligere eſt a ſolo intellectu, ſine imaginatione vtique erit quantum ſatis eſt ad hoc vt intellectus dicatur habere propriam operationem; ex qua probat Philoſophus humani Animi impermixtionem, ac ſeparabilitatem, & per conſequens perpetuitatem a tex.1. lib.3. vſque ad 20.

Neque ex eo quod intellectus actionem præcedant phantaſmata, & imaginatio, poteſt concludi intellectum non habere propriam operationem. Nam ſicut neceſſe eſt vt intelligendi actum præcedat imaginatio, ita & externorum ſenſuum ad intelligendi actum prærequiritur operatio, vt ex Philoſopho tex.39. lib.3.de Anima, vbi docet. Qui non ſentit aliquid nihil vtique addiſcet, nec intelliget. Non enim a [a] natiuitate cœcus poteſt de coloribus iudicare, & ſic de alijs rebus, quarũ non habet homo ſenſus diſcurrendum eſt: quia nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu.

[a] Ariſtot. 2. Phyſ.tex.6.

Si igi-

Si igitur ſenſuum externorum neceſſariò præexiſtens operatio non facit quo minus intellectus habeat propriam operationem; ita nec imaginationis neceſſaria præexiſtentia, ſi nihil in intellectum immediatè operando producat, faciet quominus intellectus habeat propriam operationem; & per conſequens erit impaſſibilis, impermixtus, ſeparabilis, atque immortalis; vt optimè ſemper ſibi in hac re perpetuò conſtans Philoſophus demonſtrauit a tex. 1. lib. 3. de Anima vſque ad 20.

Hic enim ordo qui eſt in ſenſibus externis, & imaginatione prærequiritur ratione modi operandi, quem Anima habet in corpore, non autem ſimpliciter, & abſolutè.

Intellectus namque ſubſtantia ſi ſimpliciter, & abſolutè conſideretur, nec ipſa dependet a ſenſu, nec eius operatio:

Cum melius ſit illi extra corpus quàm in corpore eſſe, vbi perfectiorem exiſtendi, atque operandi modum habet, vt docet Ariſtoteles lib. 1. de Anima tex. 49.

Quare textibus illis 30. & 39. lib. 3. docet Philoſophus quomodo Anima in corpore exiſtens intelligat, ſecundùm quam conſiderationem ad Phyſicum pertinet; vt autem in corpore exiſtens Anima dum primò intelligit, neceſſe eſt vt ſimul cum phantaſmate contempletur, non quidẽ vt phantaſmatibus immedia-

tè vtatur ad intelligendum; sed quia ex phantasiæ operatione, ac phantasmatibus intellectus agens qui est eiusdem Animæ facultas determinatur ad producendum in possibilem, seu patientem intellectum intelligibiles species, quibus intellectus patiens immediatè vtitur ad intelligēdum, secundùm quem modum operandi Anima potest desinere esse, sicut & in corpore in Hominis morte desinit esse: quomodo autem separatus intellectus intelligat, id determinare primæ Philosophiæ opus esse asseruit; & quantum ex Philosopho conijci poterat, a nobis explicatum est supra.

Dum igitur in physicis descendit ad particularem modum quo intelligit Anima, loquitur de illa quoad modum existendi quem habet in corpore.

Arist. tex. 39. lib. 3. de Anima.

Anima enim dum primò in corpore existens aliquod incipit intelligere obiectum, necesse est præcedētibus phantasmatibus intellectum agentem determinari ad producendas species in patientem; qui quando per speciem factus est intelligibile obiectum, tunc potest intelligere per se ipsum & obiecta illa quorum habet speciem, & se ipsum, vt insinuat Philosophus tex. 8. lib. 3. de Anima.

Ex quo loco in sententia Philosophi dicere possemus, patientem intellectum quando iam recepit species ab intellectu agente posse exi-

re in

re in actum intelligendi abſque phantaſmatibus; atque ita habere propriam operationem etiam dum in corpore exiſtit abſque phantaſiæ operatione, quæ ſit toties quoties mens intelligit; licet dum primò aliquid incipit intelligere, naturæ ordine phantaſiæ operatio præcedere debeat.

Verum quicquid ſit de hac quæſtione: ad hoc vt in ſententia Philoſophi intellectus dicatur ſeparabilis, impermixtus, atque immortalis, ſat eſt vt intelligendo non vtatur inſtrumento corporeo, nihilque a corpore, corporeàue facultate recipiendo patiatur, vt patet èx ijs quę docet idem Ariſtoteles a tex. 1. lib. 3. de Anima vſque ad 20. ad hanc quæſtionem proprio loco diſſoluendam, quam tex. 12. & 13. lib. 1. de Anima propoſuerat.

Verum ſi rectè aduertatur quod docet Ariſtoteles tex. 12. lib. 1. de Anima dum dicit, ſi intelligere imaginatio quædam eſt, aut non ſine imaginatione, non continget hoc, ſcilicet intelligere ſine corpore eſſe, loquitur de actu intelligendi, qui non poteſt cum præexiſtentia phantaſmatum ſine corpore eſſe: abſolutè autem, & ſimpliciter intelligendi actus perfectius eſt ab Anima extra corpus quàm in corpore: & ideo licet actus intelligendi non poſſit eſſe niſi præcedat imaginatio dum in corpore exiſtit Anima; abſolutè tamen poteſt eſ-

ſe ſine phantaſmatibus, quod ex eo colligitur, quia in corpore etiam exiſtens Anima propriam habet operationem, quam ſe ſola producit. Quare melius eſt intellectui ſine corpore, quàm in corpore eſſe, vt docet Ariſtoteles tex.49. lib.1. de Anima.

Dummodo igitur Anima in corpore exiſtens habeat propriam operationem, etiam ſi intelligere non contingat eſſe ſine imaginatione ab Anima dum eſt in corpore, continget tamen ipſam a corpore ſeparari, vt docet Philoſophus lib.1. de Anima tex.12. & 13. ſeparata enim perfectiorem habebit intelligendi modum, & ipſum intelligere extra corpus ab Anima perfectius erit quàm in corpore.

Quamobrem ſi intelligere ſimpliciter, & abſolutè non poſſet eſſe ſine imaginatione, non eſſet intellectus a corpore ſeparabilis.

At quia perfectius eſt intelligere extra corpus quàm in corpore, continget Animam abſque corpore eſſe, vbi melius, & perfectius intelliget, cum etiam in corpore exiſtens propriam habeat operationem.

## OBIICIES V.

EX eodem Philoſopho lib.1. de Cælo tex. 126. & 127. Quæ generantur, illa eadem corrumpuntur.

Verum

Verum cum homo hominem generet ex Philoſopho lib.2. Phyſ. tex.26.& 70.& lib.12. Metaph. tex.13.& 18. neceſſe eſt Animæ per generationem det eſſe; cum Anima non ſit ante generationem, ex eodem Philoſopho tex. 16. lib.12. Meth. Abſque Anima enim Homo non eſt, cuius eſt ratio animus. Ariſt. tex. 16. lib.12. Met.

Si homo igitur hominem generat, & Animam a corpore dependere neceſſe eſt; & per conſequens deſinere eſſe, ſi in corpore exiſtere deſinat.

Reſpondetur: Homo hominem generat, quia & materiam diſponit, & vnionem producit, qui eſt modus quo Anima in corpore exiſtit; quo modo producto, neceſſe eſt hominem generari, & eſſe; nam dum vnitur, vel vnita eſt corpori Anima, exiſtit homo; verum ipſius Animæ ſubſtantia nõ producitur ab homine, ſed ex Philoſopho lib.2. de generatione Animalium cap.3. accedit extrinſecus, ideſt non educitur de potentia materiæ, ſed a primo agente in corpore producitur.

Quare Ariſtoteles etiam tex. 65. lib. 1. de Anima dixit. Intellectus autem videtur innaſci ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi; nempe quia licet in corpore producatur, non tamen educitur e materiæ potentia, ſed de foris aduenit, ideſt a ſuperiori, & altiori principio qui eſt Deus in corpore producitur.

Non

Non enim ex eo quod a Deo in corpore producatur; & per conſequens ibi dicatur innaſci, ſequitur non aduenire de foris.

Nam agens quod illam producit in corpore, non educit illam e potentia materiæ. immaterialis namque eſt ex Philoſopho lib.3.de Anima tex.15.& de partibus Animalium lib.1. cap.1. qui eam quatenus a materia abſtractam a phyſica adimit contemplatione.

Et ideo optimè dicitur (innaſci & non corrumpi) ideſt produci in corpore tunc quando homo generatur; quia ipſius eſt ratio,quæ non præexiſtit illi rei cuius eſt ratio, ſeu forma; vt docet Philoſophus tex.16.lib.12. Met. quamuis nihil prohibeat remanere intellectum poſterius, ideſt poſt hominis mortem, vt ibidem Philoſophus tex.17.

Quare tex.65.lib.1. de Anima expreſsè dicit, innaſci & non corrumpi; quia licet in corpore, & ſimul cum Homine producatur, poſt Hominem tamen remanere poteſt; cum melius illi ſit ſine corpore quàm cum corpore eſſe, vt eius indicat præcipua operatio, quæ eſt ipſum intelligere,quod cum fiat abſque inſtrumento corporeo,a poſteriori demonſtratur ab Ariſtotele a tex.2.lib.3.de Anima vſque ad 20. eam partem Animæ quæ intelligit & ſapit ſeparabilem eſſe,impermixtam, atque immortalem; quod non eſt a Philoſopho primò inuen-

tum,

tum, atque demonſtratum; ſed conſuetum erat dici, & placebat multis, vt ipſe teſtatur lib. 1. de Anima tex. 49. vbi etiam docet, laborioſum eſſe intellectui corpori commiſtum eſſe, & non poſſe ab eo abſolui: & propterea fugiendum.

Quare an Anima ſecundùm eam partem qua intelligit ſit in aliqua corporis parte determinata, an in toto corpore, noluit Ariſtoteles definire, cum de alijs Animabus ſecundùm vegetantis, ac ſentientis portiones definiſſet: quia vt tex. 21. lib. 2. de Anima Philoſophus docuit. Intellectus videtur genus aliud animæ eſſe, quod ſolum contingit de facto ſeparari quemadmodum perpetuum a corruptibili.

Nec legendum eſt ſicut in vulgata verſione. Et hoc videtur poſſe ſeparari quemadmodum perpetuum a corruptibili: nam in textu græco legitur.

*καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ.*

Et hoc ſolum contingit ſeparari quemadmodum perpetuum a corruptibili.

*ἐνδέχεται* autem præſentis indicatiui tempus eſt, & *ἐνδέχεται*, non, poſſe, ſed, contingit, ſignificat in ſententia Philoſophi, & contingit ſignificat de facto accidere, pro vt contradiſtinguitur a poſſibili; vt ex multis locis Ariſtotelis

ſtotelis [a] animaduerti, & præſertim in libris Perhiermenias [b], vbi agit de propoſitionibus cum modo; & ad ſignificandam Enunciationem de modo contingenti hoc eodem verbo vtitur.

[a] lib. 1. Poſt. cap.vlt.ſæpè; lib. 1. Phyſic. tex.78. lib. 1. de Anima.tex. 12. & 13.

[b] lib.2. cap.3.

lib.2. Perhier. cap.3.

| | |
|---|---|
| ἐνδεχόμενον εἶναι. | contingens eſſe. |
| ἐνδεχόμενον μὴ εἶναι. | contingens non eſſe. |
| οὐχ ἐνδεχόμενον εἶναι. | non contingens eſſe. |
| οὐχ ἐνδεχόμενον μὴ εἶναι. | non contingens non eſſe. |

Qui ſi non ſenſiſſet animam eſſe immortalem, non ſatis commode potuiſſet illam effugere difficultatem de qua ibi; vtrum ſcilicet Animæ partes loco, an ratione tantum diſtinguantur, cum de vegetante, ac ſentiente probaſſet eſſe in eadem parte corporis.

Quam tamen effugit ex eo, quod mens videatur genus aliud Animæ eſſe, quod ſolum cõtingit ſeparari ſicut perpetuũ a corruptibili.

## OBIICIES VI.

SI intelligens Anima eſſet a corpore ſeparabilis, atque immortalis; id eſſet vt idem Philoſophus docet tex. 19. lib.3. de Anima, quia intellectus etiam agens, cuius eſt producere ſpecies in intellectum patientem, impermixtus, atque immortalis eſt.

Sed intellectus agens non eſt Animæ facultas, ſed Deus: cuius enim ſubſtantia actio eſt Deus eſt.

Verum

Verũ intellectus agentis ſubſtantia actio eſt; ex Philoſopho eodem tex. 19. lib. 3. de Anima. Ergo Deus eſt.

Non igitur ex eo quod intellectus agens eſt impermixtus; atque immortalis, Anima noſtra eſt dicenda immortalis.

Nam intellectus agens Deus eſt; non Animæ noſtræ ſubſtantia, ſeu facultas.

Cuius rei ſignum eſt, quod ibidem addit Philoſophus, docens intellectum agentem ſemper intelligere.

Reſpondetur: Cuius ſubſtantia actio eſt Deus eſt. verum intellectus agentis ſubſtantia ex Ariſtotele nõ eſt actio, ſed intellectus agens ens ſubſtantia actioni. Hæc enim duo maximè inter ſe differunt, intellectus agentis ſubſtantia actio eſt; & intellectus agens ens ſubſtantia actioni. Nam in prima enunciatione actio in recto per verbum ſubſtantiuum enunciatur de ſubſtantia intellectus agentis etiam in recto ſumpto nomine ſubſtantia.

Dum verò dicitur, Intellectus agens ens ſubſtantia actioni, nec ſubſtantia eſt caſus rectus, nec actioni, vt patet ex textu græco.

Καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ.

Et hic Intellectus ſeparabilis, & immixtus, & impaſſibilis ſubſtantia ens actioni.

Quare ſi italicè vertendum eſſet quod in

textu græco legitur de Intellectu agente vltimis verbis, diceremus.

L'Intelletto agente per ſoſtanza ente all'operatione.

Tam enim dictio οὐσίᾳ, quàm ἐνεργείᾳ, cum iota ſubſcripto in omnibus codicibus, quos videre potui leguntur.

Atque ita nec ſubſtantia, nec actio eſt nominandi caſus, & rectus; ſed dandi, & obliquus.

Et vt aliquis congruus ſenſus ex his verbis eliciatur, οὐσίᾳ cum iota ſubſcripto latinè vertitur pro ſubſtantia, quæ ſit ablatiui caſus, & ἐνεργείᾳ, ſicut græcè eſt dandi caſus, ita latinè eodem caſu accipitur.

Atque hoc modo ſi legatur Philoſophus, nullum poteſt eſſe dubitandi principium, an intellectus agens ſit Deus.

Omnes enim agentes facultates ſunt entia ſubſtantia actioni; ideſt entia per ſubſtantiam actioni, vel actui, vel ad agendum ordinata.

Potentiæ namque cum ſpeciem ſumant ab actibus, ſubſtantia, ſeu eſſentia ſunt ad actionem ordinatæ, quod eſt prædicatum ex diametro oppoſitum diuinæ ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ, quæ cum ſit ſuum eſſe, non poteſt ab alio ſumere ſpeciem. Eſſe enim per eſſentiam exiſtens, & eſſentiam, ſeu ſpeciem ab alio accipere, pugnantia ſunt.

Et ideo

Et ideo actus quo intelligit Deus eius substantia, & essentia est.

Non igitur potest essentiam ab alio sumere Deus. Et per consequens non est intellectus agens, qui ab alio speciem, seu substantiam sumit.

Neque ex eo quod docuit Philosophus, intellectum agentem semper intelligere, conuincitur Deus esse. Nam intellectus agens dicitur semper intelligere; quia productis ab ipso speciebus in intellectum possibilem, intellectus possibilis intelligendi actum semper producit. Quare formaliter loquendo intellectus agens nunquam intelligit, sed causaliter tantum; qui cum essentia, atque substantia sit ad producendas species ordinatus, non potest Deus esse, cuius essentia independens est; intellectus autem agentis substantia ab actione dependeat, a qua sumit essentiam, seu speciem, quam dat rebus omnibus Deus, non accipit.

Huius textus lectionem ante annos ferè viginti vt ex textu græco diligenter aduerterem admonuit VRBANVS VIII. summo studio ac diligentia ijs semper intentus, quibus Vniuersali Ecclesiæ, quam totam regit, prodesse possit, dum adhuc Cardinalis esset Bononiæ Legatus, qui mihi iussit vt hanc quæstionem ex Philosophi sententia diligentissimè discuterem.

Nam si in sententia Aristotelis humanus

Animus eſſet a corpore inſeparabilis, eius hac de re ne prælectiones fierent in ſcholis in ſententia Philoſophi procurare volebat.

Non enim hanc quæſtionẽ fidei noſtræ, quę Dei reuelantis veritate nititur neceſſariam, aut vtilem fore ſentiebat, ſed pernicioſam, & per conſequens damnandam.

Verum ad rem noſtram: ſi intellectus agens eſſet Deus (quod verbis Philoſophi repugnare manifeſtè conſtat) adhuc intellectus patiens, qui eſt ea pars, qua Anima intelligit, & ſapit, deberet eſſe impaſſibilis, ſimplex, & impermixtus, a corpore ſeparabilis, atque immortalis, vt ex ijs omnibus quæ docet Philoſophus a tex. 1. lib. 3. de Anima vſque ad 20. manifeſtè deducitur, ex eo ſcilicet quod intelligat inſtrumento non vtens corporeo.

Ideo namque ponitur intellectus agens vt producat ſpecies, quia cũ intelligere ſit quoddam pati, & intellectus patiens ſit a corpore ſeparabilis, atque immaterialis, non poteſt pati recipiens actionem a corpore.

Si enim intellectus non eſſet ſeparabilis, poſſet ſicut & ſenſus tam interni, quàm externi ſpecies rerum intelligibilium ab obiecto etiam corporeo recipere, vel a facultate corporea, ſeu dependente a corpore, quales ſunt omnes tam externi quàm interni ſenſus. Quare intellectiones in tali caſu ſenſationes eſſent;

nam

nam a corpore tanquam ab inſtrumento dependenter fierent.

Quod tamen eſt contra doctrinam Ariſtotelis tex. 92. lib. 1. de Anima, vbi docet nec facilè eſſe fingere quam partem corporis contineat Anima, ideſt quam ita informet, vt ea ad intelligendum vtatur; vt habet etiam lib. 3. de Anima tex. 6. vbi docet nullum intellectui eſſe inſtrumentum corporeum, quo ſcilicet vtatur ad intelligendum, quemadmodum ſenſus inſtrumento vtitur corporeo ad ſentiendum. ex quo tex. 7. concludit, Intellectum eſſe a corpore ſeparabilem, & per conſequens immortalem.

Quare his teſtibus lib. 3. a 2. vſque ad 20. ea ponit quibus ſatisfit illi Quæſtioni, quam propoſuerat tex. 12. & 13. lib. 1. An ſcilicet intellectus, ſeu intelligens Anima ſit a corpore ſeparabilis, & per conſequens impermixta, & immortalis.

Quod concludit, quia non eſt intelligenti Animæ inſtrumentum aliquod corporeum, quo vtatur ad intelligendum, & ideo nihil cum eius actione communicat actio corporalis, vt lib. 2. de generatione Animalium cap. 3. docet idem Philoſophus.

Habet igitur in corpore exiſtens intellectus propriam operationem, quam ſine inſtrumento corporeo exercere poteſt, & per conſequẽs eſt im-

est impermixtus, separabilis a corpore, atque immortalis, quod probauit Aristoteles a tex. 1. vsque ad 20. lib. 3. de Anima, docens quomodo fieret ipsum intelligere ab intellectu in corpore existente, quantum satis erat in communi ad hoc vt intelligeretur differentia intellectus ab alijs Animæ partibus, & solueretur ea quæstio, vtrum humanus intellectus sit separabilis a corpore, impermixtus, atque immortalis; quod cum plenè probasset obiectis etiam satisfaciendo, a tex. 21. iterum incipit explicare quomodo fiat ipsum intelligere ad peculiares etiam descendens modos, quibus intellectus in corpore existens intelligit, iudicat, propriasque exercet operationes.

Quamobrem si ad producendas species in eum qui est possibilis intellectus ad primam causam, qui est Deus, recurrendum est: necesse est ipsum intellectum, qui est ea pars, qua Anima intelligit, & sapit, simplicem, impermixtum, atque immortalem esse ex eo quod nihil recipere possit a corporibus, quæ intelligit.

## OBIICIES VII.

Intellectus quo intelligit & sapit Anima, est patiens, seu posibilis intellectus.

Verum ex Philosopho lib. 3. de Anima tex. 20. hic est corruptibilis.

Igitur

Igitur ea pars Animæ qua intelligit & sapit Homo corruptibilis est.

Respondetur; patientem siue possibilem intellectum esse eam Animæ partem, quæ intelligit & sapit.

Verum tex.20. hunc intellectum quem antea dixerat Aristoteles impassibilem, impermixtum, & separabilem a corpore non dicit corrumpi; sed passiuum intellectum dicit corrumpi, qui non est ea pars, qua homo intelligit, aut sapit; sed est imaginatio, sine qua intellectus in corpore existens nihil de nouo intelligit.

Quare passiuus intellectus internus est sensus, qui ideo denominatur intellectus, quia intellectui agenti inseruit, & illius operatio necessaria est ad hoc, vt intellectus agens determinetur ad producendas species, quibus intellectus patiens intelligit. Et quia etiam magnam habet cum Intellectu in corpore existente connexionem, affinitatem, & similitudinem phantasia; passiuus est dicta Intellectus.

Ergo passiuus intellectus non est ea pars Animæ qua homo intelligit & sapit; sed est imaginatio, seu phantasia, cuius actio ad intelligendum requiritur vt intellectus agens determinetur ad producendas species in eum qui est possibilis intellectus. Et est ea pars Animæ, de qua Aristot. tex.3.lib.3. de Anima

enun-

enunciat quod sit impassibilis, tex. 4. immista, tex. 6. negatur vti instrumento corporeo. Et tandem tex. 7. dicitur a corpore separabilis; & per consequens immortalis: cum tamen de passiuo Intellectu dicatur & pati, & corrumpi tex. 20. vbi etiam Arist. enunciat de Intellectu separato, hoc solum est quod quidem est, & hoc solum immortale est, & perpetuum; quod si de Intellectu posibili dicatur qui est ea pars Animæ, quæ formaliter intelligit, & sapit; nihil dicetur doctrinæ Philosophi repugnans.

Et si de intellectu agente tantum, qui est altera intelligentis Animæ differentia, diceretur esse immortalis, & perpetuus, non excluderetur tamen posibilis intellectus, qui est cum intellectu agente idem re, ratione tantum distinctus; sed excluderentur eæ Animæ facultates, quæ non sunt solius Animæ, vt sensus tam interni, quàm externi: cum posibilis intellectus immaterialis sit ex Philosopho tex. 15. lib. 3. de Anima, impassibilis & separabilis, & per consequens immortalis, vt a tex. 3. vsque ad 7. ponit, & probat, & vsque ad 20. confirmat, ponens ea, quibus pars illa quæ intelligit, & sapit Anima impassibilis, simplex, impermixta, & a corpore separabilis aut probatur, aut supponitur esse, aut difficultates soluuntur, quæ huic veritati aduersari posse videbantur.

Pasiuum

Paſsiuum autem intellectum non eſſe eam partem Animæ quæ intelligit & ſapit, confirmatur; nam paſsiuum intellectum non dicit eum qui intelligit, ſed ſine quo nihil intelligit intellectus, iuxta ſcilicet eum modum operandi quē habet in corpore, præſertim quoad reminiſcendi actum, qui non eſt ſolius intellectus actus, ſed & habentis ideſt corporis, in quo ineſt Anima, cuius ſolius eſt facultas intellectus, qui ad reminiſcendum requirit vt in ipſo reproducantur ſpecies ab intellectu agente, ſi quæ per obliuionem ſunt obliteratæ; intellectus autem agens non poteſt producere ſpecies niſi imaginationis ſeu phantaſiæ præcedat operatio, quæ cum ſit potentia vtens inſtrumento corporeo, intellectu ſeparato a corpore non remanet.

In ſententia igitur Philoſophi poſt ſeparationem Animæ a corpore permanet intellectus, qui habet propriam operationem intelligendi ſui ipſius ſubſtantiam, & alia quorum habet ſpecies.

Et ideo ea pars Animæ qua homo intelligit & ſapit non corrumpitur, cum remaneat poſterius: dicitur tamen non reminiſci; quia paſſiuus intellectus corrumpitur, ſine quo nihil intelligit reminiſcendo, aut dum primò in corpore exiſtens intelligere incipit.

Quare paſſiuus intellectus, qui corrumpitur ima-

tur imaginatio eſt, ac interior ſenſus, non autem ea pars Animæ qua intelligit & ſapit homo; nam de ea ſeparata quæreretur vtrum reminiſcatur, ſuppoſito quod non ſit ſeparata, nec ſeparabilis; quod veritati quam ſupra probauerat Philoſophus, & tex. 20. ſupponit ex diametro eſt oppoſitum, atque de eo quod non eſt quæreret an poſsit operari, quo nihil abſurdius.

Nos enim non reminiſcimur, niſi intellectus patientis actione, qui eſt ea pars Animæ qua intelligit & ſapit non ſolum Homo ſed & Anima, cum ſit illius operatio propria: licet ad reminiſcendum, & de nouo intelligendum phantaſiæ prærequiratur operatio.

Paſsiuus igitur intellectus imaginatio aut phantaſia eſt, ſine qua nihil intelligit exiſtens in corpore intellectus vel formaliter ſi de patiente intellectu, vel cauſaliter ſi de agente loquamur qui producit ſpecies in patientem ſeu poſsibilem intellectum; qui intellectus agens & patiens, vt ego exiſtimo, ſunt vna & eadem res, quæ dicitur intellectus agens quatenus ſpecies producit, & patiens ſeu poſſibilis quatenus illas recipit, poſt quarum receptionem intelligendi actum producit.

Verum quoad hoc officium ſpecies producendi deſinet eſſe intellectus agens ſeparatus; quia ad ſpecies producendas determinatur ab

imaginatione ſeu phantaſia, quæ paſſiuus intellectus dicitur, & corrumpitur.

Cum autem ſine ſpeciebus nec etiam ſeparatus intellectus intelligere poſſit alia a ſe directè, illas ab auctore naturę Deo recipiet puriores a quo recepit & eſſe, vel ijs vtetur quas in corpore exiſtens recepit, ſi permanent; perfectioremque modum exiſtendi, atque operandi habebit extra corpus.

Quare Philoſophus docuit tex.49. lib.1. de Anima, melius illi eſſe extra corpus quàm in corpore exiſtere; vbi etiam dicit, laborioſum eſſe intellectui corpori commixtum eſſe, & non poſſe ab eo abſolui: & propterea fugiendum.

## OBIICIES VIII.

EX Ariſtotele lib.1. de Cælo tex. 126. & 127. Quod ortum & initium habet, illud idem deſinat oportet.

Verum ſimul cum corpore, atque in corpore incipit eſſe Anima, dum generatur homo, cum ſit ipſius ratio, ſeu forma. Ariſt. lib. 12. Met. tex.16.

Neceſſe igitur eſt vt deſinat eſſe.

Reſpondetur. Si dictum Philoſophi ad formas transferatur, formæ quæ incipiunt eſſe dependenter a corpore ita vt ex illius potentia educantur, deſinunt eſſe. Sed Anima licet in corpore innaſcatur, non corrumpitur ex Ari-

ſtotele tex.65.lib.1.de Anima, ſed permanet; quia de foris aduenit, vt ex eodem Philoſopho lib.2. de generatione Animalium cap.3. ob quam etiam cauſam quamuis ſimul cum corpore, & in corpore producatur intellectus, poſterius tamen permanere nihil eſt quod prohibeat eodem Philoſopho teſte Met. lib. 12. tex. 17. & lib. 1. de Anima tex.65. cum melius illi ſit abſque corpore quàm in corpore eſſe, ex eodem tex.49. lib.1. de Anima: Intelligere namque perfectiori modo eſt ab intellectu extra corpus exiſtente Anima, quàm in corpore, vbi ſimul cum phantaſmate intelligit, & res ab omni materia ſeparatas, & ſe ipſam etiam intelligit per ſpecies intelligibiles rerum ſenſibilium.

## OBIICIES IX.

SI Anima immortalis eſſet, daretur infinitum actù, quod Philoſophi ſententiæ repugnat.

Nam cũ Ariſtoteles ponat ab æterno mundum; infiniti fuiſſent geniti homines, quorum Animæ omnes ſimul exiſterent.

Non igitur humanus Animus eſt immortalis dicendus ex Ariſtotelis ſententia.

Reſpondetur. Animæ perpetuitas, aut interitus ex Philoſopho non dependet ex eo quod

mundus

mundus ſit aut in tēpore, aut ab æterno productus; ſed ex eo quod Anima habeat, vel non habeat propriam operationem, quam abſque inſtrumento corporeo exercere poſſit.

Nam ſi Anima non habeat propriam operationem, non eſt a corpore ſeparabilis: verum ſi habeat, ſeparabilis erit: habere autem propriam operationem ex Philoſopho ſupra demoſtratum eſt ex ijs quæ docet a tex.1.vſque ad 20. lib.3. de Anima.

Nec vnquam has duas quæſtiones, quod ego ſciam inter ſe contulit, multorum etiam Annorum adhibita diligentia.

Et ſi Philoſophus has duas quæſtiones inter ſe contuliſſet, quam ex his retractūrus fuiſſet, veram ne, quæ eſt de Animi immortalitate; an falſam, quæ eſt de Mundi æternitate?

Si quis rectè de Ariſtotelis ſcientia, atque ingenio ſentiret, potius iudicare deberet, eam ab ipſo retractandam fuiſſe, quæ eſt falſa ſententia, quæue ijs rationibus nititur, quibus reſpondere poſſunt, & de facto reſpondent multi, qui etiam Ariſtotelis Philoſophiam profitentur.

Leue eſt igitur argumentum quod ex falſo Ariſtotelis pronunciato adducitur contra immortalitatem Animæ, quam diſertis verbis verè affirmauit, rationibus demonſtrauit, obiectis ſatisfaciendo confirmauit.

Quare

Quare non ex mundi perpetuitate in qua errauit Philoſophus.

Sed ex operatione inueſtigandum eſt, num intellectus ſubſtantia ſit a corpore ſeparabilis, & per conſequens immortalis.

Verum non ſequitur etiam. Eſt æternus Mundus. Ergo infiniti ſunt geniti Homines, quorum Animæ ſimul exiſtunt. infiniti namq. homines generari non poterāt ſi mundus æternus fuiſſet: cum enim [a] materia rerum generabilium, & corruptibilium finita ſit, non poſſunt ſimul infiniti exiſtere Homines, quorum ſinguli aliquam [b] materiæ portionem determinatam neceſſariò requirunt, quæ quantumuis minima, totius Mundi materiam conſumpſiſſet. Nec ſatis fuiſſet ad infinitum Animarum numerum recipiendum, quæ ſimul exiſtere debuiſſent ſi ab æterno ante ſæcularia tempora Homines producti fuiſſent.

[a] Ariſt. lib. 1. de Cælo.

[b] Ariſt. de generat. Animalium lib 4. c. 4. circa mediū.

Quare ob neceſſitatem materiæ, quæ requiritur in homine, infinitas hominum generationes negaſſet Philoſophus; nec fuiſſet coactus ob hanc rationem quod de immortalitate Animæ demonſtrauit retractare; quoniam ad defectum materiæ confugiens, vim argumenti poterat eludere, audacter negans infinitas dari poſſe Animas, cum infiniti Homines abſque conſumptione totius vniuerſi, & multorum aliorum exiſtere non poſsint.

Quod

Quod rationabiliter deduci potest ex ijs quæ docet Philosophus lib. 1.de Cælo tex.120.121. 124. & 125. quibus habet, nihil esse quod ab æterno generabile, aut corruptibile sit.

Nam quod generatur aliquando non fuit, vel potuit non esse prius, cum in conceptu generationis includatur tãquam terminus a quo priuatio[a]; quod de eo quod semper est negat posse dici Philos.tex.121.lib.1.de Cælo. Si igitur æternæ generationes esse non possunt, geniti in tempore Homines finiti sunt. Quare etiam si Animus ponatur immortalis, & æternus mundus, non ob id datur infinitum.

[a] Arist.lib.1. phys.

Potuisset enim dicere Philosophus si sibi constare volebat, a Deo hanc rerum vniuersitatem fuisse productam cum ijs omnibus indiuiduis, quibus mundus conseruaretur, & rerum omnium quæ extiterunt species vsque ad fæcularia tempora, idest quæ certis sæculis, ac determinatis numerantur, in quibus generationes inciperent: Et hæc, aut similia dicens, Mundi æternitatem cum Intellectus humani immortalitate, & finito Animarum numero coniungere poterat; nec debuisset illi graue esse retractare quæ posita Mundi æternitate sequuntur absurda.

Neque censendus est Philosophus tanquam lapidem lydium Mundi æternitatẽ asseruisse, ad quem veritas hæc quę est de Animi immortalitate

talitate

talitate relata dignoſceretur: Nam Mundum æternum eſſe inter problemata poſuit, de quibus eſſe poſſunt contrarij ſyllogiſmi, vt eius verba demonſtrant Topicorum 1. cap. 9.

Sunt autem problemata, & de quibus contrarij ſunt ſyllogiſmi: dubitationem enim habent vtrum ſic ſe habent, an non ſic, eò quod de vtriſque ſunt rationes ſuaſibiles. Et de quibus rationem non habemus, cum ſint magna, difficilè arbitrantes eſſe propter quid aſſignare: vt vtrum Mundus ſit æternus, an non: nam huiuſmodi quæret aliquis.

Sunt qui ſcire cupiant, cur in Metaphyſicis non egerit de humano Intellectu Philoſophus, cum nō ſemel de humano Intellectu ſeparato agere ad primā Philoſophiā ſpectare docuerit.

His reſponderi poteſt. Nunquam pollicitus eſt Philoſophus ſe de humano intellectu a corpore ſeparato acturum; a quo ideo abſtinuiſſe creditur; quia pauca de eo intelligi poſſunt naturali lumine; & ea explicauit quibus ſatis intelligere poſſumus, melius eſſe intellectui ſine corpore quàm cū corpore eſſe. Extra corpus namque intelliget ſine phantaſmatibus, qui eſt illi magis connaturalis operādi modus.

De quo ex Sacris Eloquijs plura, & maiora cognoſcemus ſequenti ſermone, qui erit de ſuprema Hominis felicitate.

## *EXPLICANTVR TEXTVS, quibus Ariſtoteles ponit ea qua humani Intellectus immortalitatem probant, atque confirmant.*

VT autem melius intelligatur quomodo Philoſophus eam diſſoluat quæſtionem, quam tex.12. & 13. lib.1. de Anima propoſuerat: An ſcilicet ea pars Animæ, qua intelligit Anima, & ſapit ſit a corpore ſeparabilis, & per conſequens immortalis; Hic 20. primos textus lib.3. de Anima cum ſua interpretatione ſubijciendos eſſe duxi, quibus tanquam proprio loco neceſſaria ponit ad hanc veritatem inueniendam, quam quibuſdam poſitis concludit, probat, & confirmat; contra quam obijcit, & obiecta diluit.

*Περὶ δὲ τοῦ μορίου τῆς ψυχῆς, ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ καὶ φρονεῖ, εἴτε χωριστοῦ ὄντος, εἴτε καὶ μὴ χωριστοῦ κατὰ μέγεθος, ἀλλὰ κατὰ λόγον, σκεπτέον τίν' ἔχει διαφοράν. καὶ πῶς ποτὲ γίνεται τὸ νοεῖν.* Textus Primus.

De parte autem Animæ, qua cognoſcit Anima, & ſapit ſiue ſeparabili exiſtente, ſiue non ſeparabili ſecundùm magnitudinem, ſed ſecundùm rationem, conſiderandum eſt quam habeat differentiam, & quomodo tandem fiat ipſum intelligere.

Cum superioribus libris egerit Philosophus de Anima in communi, Vegetante, atque Sentiente, acturus de ea parte Animæ, qua cognoscit Anima, & sapit, eius sibi differentiam inquirēdam proposuit, & quomodo fiat ipsum intelligere; quæ duo ita inter se connexa sunt, vt vnum ad alterius cognitionem maximè conferat.

Arist. tex. 11. lib. 1. de Anima.

Cognita enim alicuius rei natura, substantia, seu essentia, quæ vltimò constituitur per differentiam, quæ propriæ passionis principium est, & causa, facilè est propria cognoscere accidentia, inter quæ propria est operatio.

Et vice versa passionis propriæ, vel operationis cognitio multum confert ad cognoscendum quid est, vt idem Philosophus docet tum alibi, tum lib. 1. de Anima tex. 11.

Quibus duobus intellectis, scilicet cognita differentia intelligentis Animæ, atque operatione propria, quæ est ipsum intelligere, cognoscemus Intellectum impassibilem, simplicem, atque impermixtum esse, propriam habentem operationem, quam non exercet instrumento corporeo; & per consequens immaterialem, separabilem, atque immortalem, vt eum concludit Philosophus tex. 7. lib. 3. de Anima.

Atque ita satisfiet Quæsito quod proposuerat Aristoteles lib. 1. de Anima tex. 12. & 13.

post

post alia multa quæsita de Anima in communi, Vegetante, ac Sentiente, quibus satisfactum fuit ab Aristotele primis duobus de Anima libris.

Εἰ δή ἐστι τὸ νοεῖν, ὥσπερ τὸ αἰσθάνεσθαι, ἢ πάσχειν τι ἂν εἴη ὑπὸ τοῦ νοητοῦ, ἢ τι τοιοῦτον ἕτερον. Textus II.

Si igitur est ipsum intelligere sicut sentire, aut pati aliquid vtique erit ab ipso intelligibili, aut tale aliquid aliud.

Vt inueniat Philosophus intelligentis Animæ differentiam ab alijs Animæ partibus, quam primo loco sibi quærendam proposuit, ab operatione ipsius intelligentis Animæ, quæ est ipsum intelligere, de quo secundo loco sibi considerandum dixit, inchoat sermonem; quia cuiusque rei operatio notior nobis est, quàm vltima ratio, seu differentia.

Et primò tanquam certum ex antedictis lib. 2. a tex. 55. in animo retentis concludit. Si intelligere est sicut sentire, erit ex eo quod Intellectus intelligẽdo patiatur recipiens aliquid ab intelligibili obiecto, vel tale aliquid aliud. Idest Intellectus dum intelligit aut aliquid recipiet ab ipso intelligibili obiecto, vel si intelligere non sit ex eo quod Intellectus patiatur, aliquid recipiens ab intelligibili obiecto, erit tamen tale aliquid aliud; hoc est si Intellectus

intelligendo non recipit ſpecies ab intelligibili obiecto, erit tamen aliquid aliud ipſum intelligere, quod fiet per receptionem intelligibilis ſpeciei, quæ non producetur ab obiecto intelligibili, ſicut ſenſibilis ſpecies producitur ab obiecto ſenſibili; ſed producetur ab Intellectu agente, qui eſt immaterialis facultas, ſeparabilis a corpore, & per conſequens immortalis; quia Intellectus poſſibilis, qui eſt ea pars Animæ, qua intelligit Anima, & ſapit, ſimplex, impermixtus, & ſeparabilis eſt, & per conſequens immortalis, nihil ab obiecto intelligibili, quod eſt corpus recipere potens, quod non poteſt quicquam producere in immateriale, incorporeumque ſubiectum, qualis eſt Intellectus.

Ariſt. lib. 3. de Anima tex. 19.

Et ideo vt infra patebit a tex. 17. ad producendas ſpecies in intellectum poſsibilem poſuit Ariſtoteles intellectum agentem, qui item eſt ſimplex, impermixtus, a corpore ſeparabilis, atque immortalis.

At ſi quis diceret. Intellectus non ſolum intelligit corpora; ſed & ſe ipſum, Intelligentias, & Deum.

Poterit igitur ab his obiectis intelligibilibus, quæ immaterialia ſunt recipere ſpecies.

Ergo intellectus intelliget recipiens aliquid ab intelligibili obiecto.

Sic

Sic obijcienti ex Philoſopho reſponderi poſſet, Intellectum in corpore exiſtentem ſe ipſum, Intelligentias, & Deum intelligere per ſpecies intelligibiles rerum ſenſibilium: concipit enim hæc ad modum corporis, ac ſi haberent quantitatem, cæteraque ſenſibilia accidentia.

Nec tamen falſus eſt Intellectus dum concipit immaterialia ad modum corporis: illa enim non dicit, aut affirmat eſſe corporea; ſed cognoſcit ſe ratione modi exiſtendi, quem habet in corpore non poſſe cognoſcere immaterialia niſi per ſpecies intelligibiles rerum ſenſibilium.

Et ideo cognoſcit ſibi quatenus Intellectus eſt, melius eſſe extra corpus quàm in corpore eſſe; vt idem Philoſophus docet tex.49. lib.1. de Anima.

Ἀπαθὲς ἄρα δεῖ εἶναι, δεκτικὸν δὲ τοῦ εἴδους, καὶ δυνάμει τοιοῦτον, ἀλλὰ μὴ τοῦτο, καὶ ὁμοίως ἔχειν, ὥσπερ τὸ αἰσθητικὸν πρὸς τὰ αἰσθητά, οὕτω τὸν νοῦν πρὸς τὰ νοητά. Textus III.

Impaſſibilem ergo oportet eſſe, ſuſceptiuum autem formæ, & potentia huiuſmodi, ſed non hoc. Et ſimiliter ſe habere ſicut ſenſitiuum ad ſenſibilia, ſic intellectum ad intelligibilia.

Ijs quæ de actu intelligendi breuiter ſed ſcitè dixit Philoſophus tex.2. conſequenter addit

vnam

vnam differentiam inter intelligendi facultatem, & sensum, docens impassibilem esse intellectum, idest recipiendo formas rerum intellectilium nihil pati actione quæ destruat; dum enim recipit formas, seu rerum species Intellectus, patitur quidem, at non destruitur, sed perficitur: aliàs & ijs ipsis, quæ antecedenti textu dixerat contraria poneret, & secunda textus dictio prioris dictionis sensum destrueret. Nam si Intellectus est susceptiuus formæ, procul dubio intelligendo patitur, vti antea textu 2. expresse dixerat, docens ipsum intelligere esse quoddam pati.

Verum alio modo patitur Intellectus recipiendo intellectilis obiecti species ac patiatur sensus, qui recipiendo species licet ab illis perficiatur, cum tamen sit potentia organo vtens ad sentiendum, in quod sensibile obiectum non solum species, sed etiam qualitatem realem interdum destruentem producit, aut alio modo percutiendo dissipat, vt vehemens lumen oculum, ratione alterius destruitur sensus organo destructo, a quo cum dependeat sentiendi facultas quoad operationem, & esse, ipso destructo quantum est ex se, & ex natura sua, necesse est desinat esse sensus.

Quod ex consequentibus textibus etiam apertè constabit, in quibus addentur ea quæ in hoc textu desiderari possent ad perfectè intelligen-

telligendum differentiam eius Animæ partis, qua cognoſcit Anima, & ſapit; cuius differentia per operationem cognita, ex vtroque concludit Ariſtoteles Intellectus impermixtionē, ſeparabilitatem, & per conſequens immortalitatem.

Ex eo enim quod Anima ſit ſimplex, impermixta, non vtens ad intelligendum inſtrumento corporeo, ab illo non dependebit, ſed poterit ipſo deſtructo permanere, perfectioremq. exiſtendi modum habebit extra corpus quàm in corpore. Nam melius eſt illi ad intellectus actum eliciendum ſine corpore quàm cum corpore eſſe: quia tunc erit apta intelligere res immateriales, vt ſe ipſam, Intelligentias, & Deum abſque ſpeciebus rerum ſenſibilium. Ariſtot. lib. 1. de Anima tex. 49.

Quodque de Intellectus impaſſibilitate diximus verum eſſe, quęcunque hoc textu dicuntur ſignificant, & infra demonſtrando probabit Philoſophus.

Hoc enim textu impaſsibilem docet eſſe Intellectum, ſuſceptiuum formæ, ideſt ſpeciei, qua determinatur ad intelligendum, qui antequam recipiat intelligibilis obiecti ſpeciem, non eſt ipſa ſpecies, nec illam in ſe actū habet, ſed potentia tantum.

Quod explicat a ſenſu ducta ſimilitudine, docens eodem modo ſe habere Intellectum ad intelligibilia, quemadmodū ſenſus ad ſenſibilia,

ſibilia, qui nec ſenſilis obiecti ſpecies eſt, nec illam habet antequam ſentiat.

Non patitur igitur Intellectus recipiendo ſpecies actione quæ deſtruat aut ratione ſui, aut ratione alterius, ideſt organi, ſicut patitur ſenſus, qui eſt potentia in organo exiſtens; eſto Intellectus ſit ſuſceptiuus formæ, & eodē modo ſe habeat ad intelligibile obiectum, eiuſq. ſpeciem, ſicut ſe habet ſenſus ad obiectum ſenſibile quoad illius ſpeciei receptionem: cum hac tamen differentia, vt Intellectus recipiens ſpeciem non patiatur, aut actione deſtruente, aut ad deſtructionem diſponente, ſicut deſtruitur ſenſus ratione organi, in quo recipitur, & a quo dependet quoad exiſtendi, atque operandi modum.

Textus IV. Ἀνάγκη ἄρα, ἐπεὶ πάντα νοεῖ, ἀμιγῆ εἶναι, ὥσπερ φησὶν Ἀναξαγόρας, ἵνα κρατῇ· τοῦτο δέ ἐστιν, ἵνα γνωρίζῃ· παρεμφαινόμενον γὰρ κωλύει τὸ ἀλλότριον, καὶ ἀντιφράττει.

Neceſſe eſt itaque, quoniam omnia intelligit, immiſtum eſſe, ſicut dicit Anaxagoras, vt dominetur. hoc autem eſt, vt cognoſcat. Nam iuxta apparens prohibet, & obſtruit alienum.

Cum ſuperiori textu docuiſſet Ariſtoteles, Intellectum impaſſibilem eſſe, ſuſceptiuum autem formæ, & ſic ſe habere Intellectum ad intelligibilia, quemadmodum ſe habet ſenſus ad

ſenſibi-

sensibilia, cum aliqua tamen differentia; quia Intellectus patitur tantum actione perficiente, sensus autem etiam destruente; docet, Anaxagoræ etiam addens auctoritatem, Intellectum impermixtum esse, idest nullam in sui essentia, substantia, seu natura admittere aut Elementorum, aut alicuius corporis admixtionem: sed esse puram quandam naturam ab omni corporea admixtione, ac compositione sciunctam, vt possit intelligere omnia.

Nam si alicuius corporis admixtionem in sui substantia admitteret, non posset cætera intelligere. Intus enim apparens prohibet, & obstruit contrarium; vt magis etiam declarari potest exemplo sensorij, & sensus, qui non potest sentire cætera quando sensorium affectum est qualitate aliqua: vt si oculus aliquem colorem in notabili aliquo gradu habeat, experimur videre obiecta cum ea qualitate, quæ est in sensorio. Exempli causa, si sit flauus oculus, apparent omnia flaua. Quod idem etiam accidere experimur cum per coloratum medium intuetur obiecta, vt si conspicilia sint rubri coloris, rubra videntur quæcunque intuetur oculus.

Et ex immistione, ac simplicitate, quam ita habet ea pars Animæ, qua cognoscit Anima, & sapit, vt sit omnino immaterialis, tum quia nec est materia, nec composita ex materia, siue

materiali ſubſtantia, neque aliquo alio modo corpus eſt; tum etiam quia non depẽdet a materia, ſeu corpore tanquam à recipiente, aut ſuſtentante ſubiecto, cum nullo inſtrumento corporeo ad intelligendum vtatur, ſed ſe ſola intelligat; ſeparabilis, & per conſequens immortalis conuincitur eſſe: quia etiam diſſoluta a corpore manere poterit; & cum ſit ſimplex, non poterit etiam in partes diſſolui: & conſequenter ſi ſemel abſque corpore exiſtere poſſe concluditur, poterit ſine illo ſemper exiſtere, atque immortalis eſſe: & melius illi erit ſine corpore quàm cum corpore eſſe, vbi perfectiorem exiſtendi, & operandi modum habebit.

Ariſt. tex. 49. lib. 1. de Anima.

Textus V. Ὥστε μηδ᾽ αὐτοῦ εἶναι φύσιν τινὰ μηδεμίαν, ἀλλ᾽ ἢ ταύτην, ὅτι δυνατόν. ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοῦς, λέγω δὲ νοῦν, ᾧ διανοεῖται καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή, οὐδέν ἐστιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν.

Quare neque ipſius eſſe naturam aliquam vnam niſi hanc quod poſſibilem, vel poſſibilis. Qui igitur vocatur Animæ Intellectus: dico autem Intellectum, quo intelligit, & exiſtimat Anima: nihil eſt actù eorum quæ ſunt antequam intelligat.

Ex antecedenti textu poſitis deducit Philoſophus, cum Anima ſimplex ſit, & impermixta, vt intelligat ita vt dominetur, ideſt vt libera ſit,

ſit, & nullum habeat impedimentum, quod ipſam prohibeat ne poſſit intelligere omnia, Intellectum qui ea pars Animæ eſt, qua intelligit, & exiſtimat Anima, nullam habere naturam niſi hanc, quod eſt eſſe poſſibilem, ideſt puram potentiam ad omnium intellectilium rerum recipiendas ſpecies, quibus ad intelligendum determinetur.

Negat autem hìc ſolum Animam in corpore exiſtentem eſſe vnum quoddam intelligibilium obiectorũ. Nam non intelligit etiam ſe ipſam in corpore exiſtentem, niſi per intellectiles ſpecies rerum ſenſibilium, atque corporum, ad quorum ſimilitudinem intelligit etiam ea quæ ſunt ab omni corporea concretione ſeiuncta, vt ſui ſubſtantiam, Angelos, & Deum.

Non negat igitur hìc ſimpliciter, & abſolutè Philoſophus, Intellectum qui eſt ea pars Animæ, qua intelligit Anima, & ſapit, eſſe actù in aliqua ſpecie rerum, cum ſit forma, de cuius ratione eſt vt ſit actus; ſed negat in corpore exiſtentem eſſe vnum intelligibilium, quod etiam poſſit a ſe ipſo cognoſci abſque ſpecie, vt ex textu 8. infra patebit. Ariſtot. lib. 2. Phyſ. tex. 28. & lib. 12. Metaph. tex. 16.

Verum ad quoduis intelligendum indiget intelligibili ſpecie, quæ ab intellectu agente, qui etiam eſt immaterialis, impermixtus, & immortalis producitur, vt a tex. 17. huius tertij

H 2 libri

libri videre eſt apud Philoſophum.

Igitur ex eo quod in corpore exiſtens Anima nullum ſit intelligibilium obiectorum, quæ ſunt corpora, quæ primò, & per ſe ab Anima in corpore exiſtente intelliguntur, & ad quorũ ſimilitudinem intelligit cætera, probatur nec mixta corporibus, nec corpus eſſe; atque ita immaterialis omninò conuincetur eſſe (quantum ſat eſt ad hoc vt dicatur immortalis) ſi non dependeat etiam a corpore tanquam a recipiente, ac ſuſtentante ſubiecto, quod probabit infra Philoſophus ex eo quod habeat propriam operationem, ad quam exercendam non vtitur inſtrumento corporeo.

Textus VI. Διὸ οὐδὲ μεμῖχθαι εὔλογον αὐτὸν τῷ σώματι. ποιός γὰρ ἄν τις γίγνοιτο, θερμὸς ἢ ψυχρός, κἂν ὄργανόν τι εἴη, ὥσπερ τῷ αἰσθητικῷ, νῦν δ' οὐδέν ἐστι. καὶ εὖ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν, πλὴν ὅτι οὔτε ὅλη, ἀλλ' ἡ νοητική, οὔτε ἐντελεχείᾳ, ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἴδη.

Vnde neque rationabile eſt ipſum miſtum eſſe cum corpore. qualis enim quidam vtique fieret calidus, aut frigidus, & ei inſtrumentum aliquod eſſet ſicut ſenſitiuo. nunc autem nullum eſt. Et benè vtique qui dicunt Animam eſſe locum formarum: niſi quod non tota, ſed intellectiua, neque actù, ſed potentia formæ.

Ex ijs quæ docuit Philoſophus ſupra, concludit, & probat, Intellectum non eſſe permixtum

mixtũ corpori itaut ſit vel corpus, vel mixtum etiam ex corporibus, quia reciperet corporum qualitates, vt calorem, aut frigus, quę ſunt qualitates, quæ poſſent ipſum intellectum vel deſtruere, vel ad interitum diſponere; quod negauit textu 3. dum dixit, impaſſibilem oportere eſſe Intellectum, actione ſcilicet deſtruente.

Neque ſolum hoc modo dicitur Intellectus immaterialis, & incorporeus eſſe ex eo quod non ſit corpus, neque miſtum corporibus: Nam hoc etiam conuenire poſſet ſenſibus, ſi ſunt ſimplices qualitates: quia etiam ſimplices qualitates nec ſunt corpora, nec mixta corporibus, vt calor, aut frigus, quæ nec ſunt corpora, nec mixta ex corporibus, quamuis ſint corporum qualitates.

Sed etiam docet non poſſe intelligentem Animam materialem eſſe, quia in materia, aut in corpore ſit, a quo tanquam a ſubiecto recipiente, ac ſuſtentante dependeat: ad intelligendum enim vteretur inſtrumento corporeo; quo cum non vtatur, eſt independens a materia, & habens propriam operationem, quam ſe ſola exercet.

Ex qua textu ſequenti Ariſtoteles concludit, Animam intelligentem a corpore ſeparabilem.

Quod eſt id quod propoſuerat tex. 12. & 13. lib. 1. de Anima, & probandum docuit ſi Ani-

ſi Anima habeat propriam operationem.

Ex qua arguitur eſſe independens a corpore tanquam a ſubiecto recipiente, ac ſuſtentante, & per conſequens ſine illo exiſtere poſſe.

Quod enim habet operationem quæ ſine corpore eſſe poſſit, neceſſe eſt ipſius eſſe, atque ſubſtantiam a corpore ſeparabilem eſſe, atque adeo immortalem.

Textus VII. Ὅτι δ' οὐχ ὁμοία ἡ ἀπάθεια τοῦ αἰσθητικοῦ καὶ τοῦ νοητικοῦ, φανερὸν ἐπὶ τῶν αἰσθητηρίων, καὶ τῆς αἰσθήσεως. ἡ μὲν γὰρ αἴσθησις, οὐ δύναται αἰσθάνεσθαι ἐκ τοῦ σφόδρα αἰσθητοῦ, οἷον ψόφου ἐκ τῶν μεγάλων ψόφων, οὐδ' ἐκ τῶν ἰσχυρῶν ὀσμῶν καὶ χρωμάτων, οὔτε ὁρᾶν οὔτε ὀσμᾶσθαι. ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν τι νοήσῃ σφόδρα νοητὸν, οὐχ ἧττον, νοεῖ τὰ ὑποδεέστερα, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον· τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός.

Quod autem non ſimilis ſit impaſſibilitas ſenſitiui, & intellectiui, manifeſtum eſt ex ſenſorijs, & ſenſu. Senſus enim non poteſt ſentire ex vehementi ſenſibili: vt ſonum ex magnis ſonis, neque ex fortibus odoribus, & coloribus videre, aut odorari. Sed Intellectus cum aliquid intellexerit valde intelligibile, non minus intelligit inferiora, ſed & magis. Senſitiuum enim non ſine corpore eſt, *hic autem ſeparabilis eſt. (* Intellectus)

Qui ſupra docuerat Philoſophus intelligere eſſe quoddam pati, impaſſibilem tamen pronun-

pronunciauit intellectum, quia non deſtruente, ſed perficiente tantum patitur paſſione: conſequenter etiam docuit ſimplicem eſſe Intellectum ipſum, atque impermixtum, vt intelligere poſſit omnia, quorum ſi aliquod eſſet actù, non poſſet cætera intelligere, & ideo potentia tantum docuit eſſe quæcunque intelligit; qui cum nō vtatur inſtrumento corporeo ad intelligendū, alio quodam modo excellentiori, atque perfectiori eſt impaſsibilis Intellectus, quo non ſunt impaſsibiles ſenſus. Senſus enim cum tanquam inſtrumento vtantur ſenſorio ad ſentiendum, quod poteſt & alterari, & deſtrui; ipſi etiam conſequenter alterari, & deſtrui poſſunt, alterato, atque deſtructo ſenſorio, quod ex vehementi ſenſibili aut diſſipatur, aut actionem recipit, quæ ad interitum diſponit, vel molitur interitum.

Cuius rei etiam ſignum eſt,quod poſtquam ſenſerunt vehemens ſenſibile ſenſus, ſentire non poſſunt: vt ſonum ex magnis ſonis: neque ex fortibus odoribus, & coloribus videre, aut odorari.

At contra Intellectus cum aliquid intellexerit valdè intelligibile, non minus intelligit inferiora, ſed magis.

Ex quibus omnibus concludit Philoſophus, ſenſum non poſſe eſſe ſine corpore. Intellectum autem ſeparabilem eſſe, & per conſequens

quens immortalem: quod est illud quod proposuerat tex.12. & 13. lib.1. de Anima.

Est enim Intellectus impassibilis, simplex, & impermixtus, potentia tantum quæcunque intelligit, non vtens instrumento corporeo, & per consequens immaterialis, cum nec corpus sit, nec corpore mixtus, nec a corpore tanquam a recipiente, ac sustentante subiecto dependens, sicut dependent sensus, & per consequens habens propriam operationem; & ideo separabilis, atque immortalis.

Ex his igitur habemus quæ sit differentia inter Intellectum, & alias Animæ partes; & quomodo fiat ipsum intelligere: quod cum fiat absque instrumento corporeo, docet Philosophus, Intellectum sine corpore esse posse, a quo est separabilis, & per consequens immortalis, vt magis etiam patebit ex ijs quæ subsequentibus textibus habet Aristoteles.

Quod si dicta Philosophi hoc textu redarguas, verum non esse intellectum intelligendo non defatigari, nec eius cognitionem perturbari destructo, aut perturbato sensorio, experientia contrarium docente, cum & marcescat Intellectus, senio debilitetur, & perturbetur ita ex corporis passionibus, vt nec etiam possit quicquã intelligere; sicut quas in Amentibus experimur passiones manifestant.

Respondetur. Hæc patitur Intellectus ratione

tione modi operandi, quem in corpore habet, qui cum non operetur, nisi præeunte imaginationis, seu phantasiæ actione, saltem dum primò intelligit; perturbatur ratione alterius.

At si natura ipsius intellectus spectetur, cui melius est absque corpore quam in corpore esse, impassibilis est, nec quicquam detrimenti pati potest ex corporis dissolutione, aut separatione quoad sui substantiam, atque operationem, quæ simpliciter, & absolutè est independens à corpore. Cuius rei indicium est, quia nec etiam in corpore existens Anima vtitur instrumento corporeo ad intelligendum, & intelligens quæ sunt maximè intelligibilia est apta intelligere inferiora magis. Arist. lib. 1. de Anim. text. 49

Quod si hoc idem in imaginatione contingere dicas.

Ex se tamen arguitur imaginationem pati posse actione quæ ad eius interitum disponat, aut ipsam destruat: quia cum sit potentia & dependens ab instrumento corporeo quoad esse, cum non sit solius Animæ facultas, sed etiam corporis; & quoad operationem, cum instrumento corporeo ad sentiendum vtatur; Necesse est ipsam quoad sui substantiam destrui, vt eius indicat operatio, quæ fit per sensorium, quod est alterabile, dissolubile, ac corruptibile corpus.

Solus igitur intellectus propriam habet ope-

rationem, & per conſequens ipſe ſolus in Homine eſt à corpore ſeparabilis, atque immortalis.

Textus VIII. Ὅταν δ' οὕτως ἕκαστα γένηται, ὡς ἐπιστήμων λέγεται ὁ κατ' ἐνέργειαν. τοῦτο δὲ συμβαίνει ὅταν, δύνηται ἐνεργεῖν δι' αὑτοῦ. ἔστι μὲν ὁμοίως, καὶ τότε δυνάμει πως, οὐ μὴν ὁμοίως καὶ πρὶν μαθεῖν ἢ εὑρεῖν. καὶ αὐτὸς δὲ αὑτὸν τότε δύναται νοεῖν.

Cum autem ſic ſingula factus eſt, vt ſciens dicitur qui ſecundum actum: hoc autem tum accidit, cum poteſt operari per ſe ipſum: eſt quidem ſimiliter & tunc potentia quodammodo, non tamen ſimiliter vt & erat antequam addiſceret, aut inueniret. Et ipſe autem ſe ipſum tunc poteſt intelligere.

Quæ de differentia intellectus ab alijs Animæ partibus, impermixtione, immaterialitate, atque ſeparabilitate antecedentibus textibus docuerat Philoſophus ex eo quod intellectus habeat propriam operationem, quam ſe ipſo immediatè poteſt elicere non vtens inſtrumēto corporeo, confirmat hoc tex. 8. docens poſt intelligibilium ſpecierum receptionem, intellectum qui iam eſt in actu poſſe intelligere per ſe ipſum quæcunque obiecta, quorum habet ſpecies, ac etiam ſe ipſum: quod eſt ſignum potentiæ independentis à corpore, & habentis propriam operationem, quam non exer-

ceat

ceat vtens inſtrumento corporeo: quod & ſeparabilitatem a corpore, & immortalitatem humani Animi ſignificat, qui quando iam didicit, aut inuenit, tunc ita eſt actù ſciens, vt ſit etiam quodammodo in potentia ſciens. Nam intelligibiles ſpecies quas habet poſtquam didicit, aut inuenit, non faciunt intellectum formaliter intelligentem in actu ſecundo, ſed cauſaliter tantum, & vltimò aptum intelligere.

Quare intellectus poſt ſpecierum receptionem eſt in actu, & quodammodo in potentia. habet namque tunc ſpecies, per quas eſt potens intelligere, ſed per ſpecies ſolum non eſt formaliter intelligens: ante productionem verò ſpecierum potentia erat & ad recipiendas ſpecies, & intelligendi actum.

Diuerſimode igitur eſt potentia antequam didicerit, aut inuenerit ac ſit poſtquam iam aut didicit, aut inuenit.

Sicut habitus ſcientiæ non eſt ſciendi actus, ſed id quo vltimò cõſtituitur intellectus aptus, & promptus ad facilè intelligendum abſque difficultate, atque labore. Quod ideo dixi vt intelligeremus habitum naturalem non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad operandum; cum ex frequentatis actibus, qui neceſſariò ipſum antecedunt generetur.

Quomodo autem rerum omnium, quas intellectus intelligit, recipiat ſpecies, & fiat

ſciens in actu, docebit infra Philoſophus, dum quę in contrarium obijciuntur infirmabit.

Textus IX. Ἐπεὶ δ' ἄλλο ἐστὶ τὸ μέγεθος, καὶ τὸ μεγέθει εἶναι, καὶ ὕδωρ καὶ τὸ ὕδατι εἶναι. οὕτω δὲ καὶ ἐφ' ἑτέρων πολλῶν, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ πάντων. ἐπ' ἐνίων γὰρ ταὐτόν ἐστι τὸ σαρκὶ εἶναι, καὶ σάρκα, ἢ ἄλλῳ, ἢ ἄλλως ἔχοντι κρίνει. ἡ γὰρ σὰρξ οὐκ ἄνευ τῆς ὕλης. ἀλλ' ὥσπερ τὸ σιμὸν τόδε ἐν τῷδε.

Quoniam autem aliud eſt magnitudo, & magnitudini eſſe, & aqua, & aquæ eſſe, ſic autem & in multis alijs: ſed non in omnibus, in quibuſdam enim idem eſt eſſe carni, & carnem: aut alio, aut aliter habente diſcernit Intellectus. Caro enim non ſine materia eſt, ſed ſicut ſimum, hoc in hoc.

Textus X. Τῷ μὲν οὖν αἰσθητικῷ τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν κρίνει, καὶ ὧν λόγος τις ἡ σὰρξ ἄλλῳ δὲ ἤτοι χωριστῷ, ἢ ὡς ἡ κεκλασμένη ἔχει πρὸς αὑτήν· ὅταν ἐκταθῇ, τὸ γὰρ σαρκὶ εἶναι, καὶ κρίνει.

Senſitiuo igitur calidum, & frigidum iudicat, & quorum ratio quædam ipſa caro. Alio autem, aut ſeparabili, aut vt circumflexa ſe habet ad ſe ipſam, cum extenſa fuerit, carni eſſe diſcernit.

Textus XI. Πάλιν δ' ἐπὶ τῶν ἐν ἀφαιρέσει ὄντων, τὸ εὐθὺ ὡς τὸ σιμὸν μετὰ συνεχοῦς γάρ. τὸ δὲ τί ἦν εἶναι, εἰ ἔστιν ἕτερον τὸ εὐθεῖ εἶναι, καὶ τὸ εὐθὺ ἄλλῳ. ἔστω γὰρ δυάς. ἑτέρῳ ἄρα ἢ ἑτέρως ἔχοντι κρίνει. καὶ ὅλως ἄρα ὡς χωριστὰ τὰ πράγματα τῆς ὕλης, οὕτω καὶ τὰ περὶ τὸν νοῦν.

Iterum

Iterum autem in ijs, quæ in abſtractione ſunt, rectum vt ſimum. cum continuo enim eſt. Ipſum autem quid erat eſſe, ſi eſt alterum recto eſſe, & rectum, alio. Sit enim dualitas. Altero itaque, aut aliter ſe habente iudicat. Omnino ergo, vt ſeparabiles ſunt res a materia, ſic & quæ circa Intellectum.

Ad ea quæ his tribus textibus a Philoſopho dicuntur intelligenda, ſupponendum eſt, Res quæ ab Intellectu qui ſpeculatiuus dicitur cognoſcuntur, in triplici eſſe differentia, vt ſæpè Philoſophus: quæ ad triplicem etiam ſpectant ſcientiam, Phyſicam, Mathematicam, & Metaphyſicam.

Quæ enim a materia ſingulari non re, ſed ratione abſtrahunt, fidemq. faciunt intellectui medijs externis ſenſibus, ad eam quæ eſt de natura ſcientia ſpectant; qualia ſunt omnia naturalia corpora, præſertim ſublunaria, in quorum eſſentia includitur materia ſiue in indiuiduo, ſiue in ſpecie, vel etiam in genere conſiderentur.

Quæ verò a materia ſingulari, & vniuerſali non re, ſed ratione abſtrahunt, fidemq. ſunt apta facere Intellectui media imaginatione, ad Mathematicam pertinent, quæ conſiderat Quantitatem non quatenus eſt corporis terminus, ſed prout eſt ab omni corpore ſeiuncta; Ariſtot. lib.2. Phyſ.

quæ

quæ tamen cum realiter a corpore seiungi non possit, Intellectu abstrahitur.

Aliud verò genus est earum rerum quæ abstrahunt a materia singulari, & vniuersali non solum ratione, sed etiam re, vt Angeli, & Deus; & hæc sunt apta facere fidem Intellectui se ipsis, ad Metaphysicamq. spectant, quæ considerat res secundum ea prædicata, quæ quantum est ex se, & ex natura sua possunt re ab omni materia esse seiuncta.

His positis.

Sciendum est ex ijs quæ à nobis cognoscũtur (quorum maxima pars ad hæc reuocatur, quorum vè exemplo vtitur Aristoteles ad explicandum id quo differunt ea quæ sensu cognoscuntur ab ijs quæ Intellectu) inuestigare Philosophum quæ sit differentia inter intellectum, & sensum, ex qua differentia cognoscitur melius Intellectum habere propriam operationem, immaterialem esse, & per consequens separabilem, atque immortalem.

Quoniam igitur in multis rebus aliud est esse, aliud res ipsa cuius est esse; idest aliud est essentia, seu quod quid erat esse, & ratio rei; aliud res ipsa: vt aliud est Aqua, aliud Aquæ esse; idest aliud est Aqua; aliud quod quid erat esse, ratio, seu quidditas Aquæ: Et sic in multis alijs, sed non in omnibus: in quibusdam enim idem est esse carni, & carnem, scilicet in quibusdam

busdam non est distinctio inter rem, & rei rationem, quam interdum quod quid erat esse rei, essentiam, seu etiam substantiam nominamus; sed idem est ratio, & id cuius est ratio, vt contingit in ijs rebus, quæ sunt ab omni materiali concretione seiunctæ, qualis est Deus, Intelligentiæ, ac etiam Intellectus humanus a corpore separatus: Necesse est hæc aut alio, aut aliter se habente ab eodem discerni; tam enim ea quæ sunt physicæ, quàm ea quæ sunt mathematicæ, ac metaphysicæ contemplationis vna, eademq. Animæ potentia discernit, scilicet Intellectus, sed alio, idest alio determinatus obiecto, aut aliter se habente, scilicet eodem obiecto habente aliud abstractionis genus. vel etiam alio, idest alia specie, aut aliter se habente, si eadem species sit coniuncta cum actu, vel ab eo disiuncta. vel demum alio, scilicet alio habitu, aut aliter se habente, quando est coniunctus cum actu, seu ab eodem disiunctus. Nam res physicas habitu physico cognoscit Intellectus, experientia singularium adiutus. singularia autem, seu particularia rerum mathematicarum, vtpotè magis a materia abstracta, non cognoscuntur externorum sensuum experientia, licet in corpore existens Intellectus ad ea intelligenda phantasmatibus adiuuetur; cum tamen ad intelligenda quæ sunt a materia re, & ratione abstracta, necesse sit vt

Intel-

Intellectus a sensu, & imaginatione quantum potest in corpore existens abstrahat se, atque seiungat, vtpote qui debeat quas cognoscit res a materia separatas per modum corporum corpora non esse iudicare, & de ijs ea contemplari, quorum singularia nec sub externum, nec sub internum cadunt sensum.

Et indiuidua quæ sunt subiecta Naturæ vniuersalis, quam considerat Physicus, hæc sensibus subiecta sunt: quare non solum Intellectu, sed etiam sensu cognoscuntur; atque ita non solũ eadem potentia, sed diuersa percipiuntur.

Indiuidua verò, & singularia quantitatis, quam considerat mathematicus, non solum externo sensu cognoscuntur, sed etiam ab Imaginatione, vel sensu communi, qui differentias dignoscit omnium externorum sensuum, vt coloris a sapore, & odoris a sono, in quibus omnibus aliquo modo quantitatem, quæ est commune sensibile apprehendit; nec eam ad vnum peculiarem sensum spectare cognoscit.

His accedens Intellectus abstrahens a sensibili corpore Quantitatem, de ipsa contemplatur quæcunque mathematicæ sunt disquisitionis.

Indiuidua verò rerum quæ ad metaphysicum pertinent, vt sunt quæcunque abstrahunt a materia non solum particulari, sed etiam vniuersali re, & ratione, intellectu tantum cogno-

scun-

ſcuntur, non externo aliquo, aut interno ſenſu percipiuntur. Et ideo ſeipſis fidem faciunt intellectui: qui quamuis in corpore exiſtens hæc ad modum corporum apprehendat, verumtamen hæc non eſſe corpora cognoſcens, multa de ipſis affirmat, & concludit, quæ non poſſunt de corporibus affirmari.

Ex his vlterius progrediens Philoſophus docet, ſenſu cognoſci calidum, & frigidum, & quorum ratio quædam ipſa caro: ſcilicet ſenſu cognoſcuntur ea quæ calida, aut frigida ſunt, & ea quorum ratio eſt in re ſenſibili, in qua ſenſus externus non diiudicat quæ ſint propria, ſeu communia, nec quo differat ratio, ſeu quodquid erat eſſe rei, & forma ab ea re, cuius eſt ratio, ſeu forma. Sicut neque Imaginatio diſtinguit quodquid erat eſſe rei, & rationem ab ipſa re: quamuis differentiam inter ſenſibile proprium, atque commune dignoſcat.

Alio autem, ſcilicet Intellectu, & ſeparabili, ideſt qui eſt potentia ſeparabilis a corpore (vt ego interpretor iuxta ſuperius dicta) cognoſcit, & diſcernit Anima diſtinctionem inter rem, & rei rationem, ſeu formam, vel quodquid erat eſſe rei: vt rationem carnis a carne.

Quod ſignum eſt in cognoſcendis etiam rebus phyſicis, quæ ſunt in materia immerſæ,

cum hæc diiudicet, ac diſtinguat Intellectus, ipſum eſſe facultatem ſeparabilem, atque immaterialem, & per conſequens immortalem: vt indicat præcipua eius operatio, quæ eſt ipſum intelligere, quod fit abſque inſtrumento corporeo, quodq; melius ab Intellectu fieret extra corpus quàm in corpore exiſtente; ſicut nobis argumento ſunt quæ extra corpus exiſtunt intelligentes mentes, quæ excellentiori, ac perfectiori modo intelligunt, quàm Anima in corpore exiſtens.

Verum cum & ipſa intelligat, eamq; operationem exerceat, quæ ſolius eſt intellectus, ipſa etiam immaterialis, a corpore ſeparabilis, & per conſequens immortalis eſſe aſſeritur, atque probatur ab ipſo Philoſopho.

Cuius rei etiam ſignum eſſe poteſt, quia, cum Anima cognouerit rerum naturas, atque eſſentias abſque ijs rebus, quarum ſunt naturæ, atque eſſentiæ, ſuper ſe ipſam reflectens, & naturas a ſe abſtractas cognoſcens, comparat illas cum ijs totis, aut indiuiduis, a quibus abſtraxit: & in prima cognitione extenſæ lineæ comparatur; in ſecunda verò cognitione circumflexæ: tendentia enim illa prior in obiectum, qua abſtrahit naturam ab indiuiduantibus conditionibus, & materia, atque ab ijs omnibus, quæ rem ſenſibilem faciunt, quodammodo lineæ rectæ aſsimilatur. Cum

autem

autem naturam a se abstractam intellectus cognoscit, iterumq; ad ea, a quibus abstracta est, comparat, circumflexæ lineæ similis est.

Quod nobis non vulgare argumentum esse debet, in rebus etiam quæ cõsiderationis sunt physicæ intellectum habere propriam operationem, quæ sit solius Animæ, & non habentis, quæ immaterialitatem, separationem, & per consequens Animæ immortalitatẽ arguit.

Neque in rebus physicis tantum, sed etiam in ijs quæ in abstractione sunt, & considerantur a mathematico distinguere est rationem, & quodquid erat esse ab ea re cuius est ratio, seu quidditas: vt rectum a ratione recti; in recto enim non solũ est considerare continuum, scilicet lineam verbi gratia, sed & rectitudinem ipsam, quæ non est ipsa linea; cum eadem linea & recta, & curua esse posit.

Altero itaque, aut aliter se habente iudicat: nam hæ res, quæ ad Mathematicum spectant, aut considerantur absque distinctione essentiæ ab ea re cuius est essentia, & cognosci possunt etiam ab Imaginatione, quæ & sensibile commune, & omnium externorum sensuum cognoscit obiecta: aut considerantur hæc quæ in abstractione sunt absque indiuiduis, in quibus existunt, & ita vt in his etiam distinguatur essentia ab ea re cuius est essentia, & tunc alia potentia, scilicet ab Intellectu,

& aliter se habente, idest distincto habitu affecta cognoscuntur. quia scientiæ, quæ sunt habitus intellectus ita inter se distinguuntur sicut obiecta, quæ si a materia tantum singulari sint separabilia non re, sed ratione, physicæ sunt contemplationis: si verò abstrahant a materia singulari, & vniuersali non re, sed ratione, sunt mathematicæ considerationis: Et in his omnibus cum rationes rerum ab ipsis rebus abstrahat Intellectus, & a particularibus quæ in materia existunt naturam seiungat ab eis quæ indiuiduant conditionibus, res materiales quodammodo immateriales facit vt illas possit intelligere: quod signum est Intellectum ipsum immaterialem esse, & per consequens a materia, & corpore separabilem, atque immortalem.

Qui cum præterea etiam intelligat ea quæ a materia re, & ratione abstrahunt, qualis est Deus, Intelligentiæ, atque humanus Animus a corpore separatus, quorum contemplatio ad primum Philosophum spectat, qui ea considerat, quæ quantum est ex se, & ex natura sua a materia re, & ratione abstrahunt; nemini dubium esse potest in sententia Philosophi, quin hæc ab Intellectu solo absque instrumento corporeo cognoscantur: atque ita etiam certum erit Intellectum habere propriam operationem, immaterialem esse, a corpore separabi-

rabilem, & conſequenter immortalem, vt indicat eius præcipua operatio, quæ eſt ipſum intelligere, quod arguit Intellectum impaſſibilem, ſimplicem, impermixtum, atque immaterialem, cui melius ſit extra corpus quàm in corpore eſſe, vbi nullo ſenſuum impedimẽto detẽtus poterit intelligere melius quæcunque rationem intelligibilis habent. Quod ex ijs quæ infra docebit Philoſophus dum ſatiſfaciet obiectis adhuc manifeſtius erit.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις εἰ ὁ νοῦς ἁπλοῦν ἐστι, καὶ ἀπαθὲς, καὶ μηδενὶ μηθὲν ἔχει κοινὸν, ὥσπερ φησὶν Ἀναξαγόρας, πῶς νοήσεται, εἰ τὸ νοεῖν πάσχειν τί ἐστιν. ᾗ γάρ τι κοινὸν ἀμφοῖν ὑπάρχει, τὸ μὲν ποιεῖν δοκεῖ, τὸ δὲ πάσχειν. Textus XII.

Dubitabit autem vtique aliquis, ſi intellectus ſimplex eſt, & impaſſibilis, & nulli quicquam habet commune, ſicut dicit Anaxagoras, quomodo intelliget, ſi intelligere pati quoddam eſt. in quantum enim aliquid commune vtriſque ineſt, hoc quidem agere; illud verò pati videtur.

Inuenta intelligentis Animæ differentia ab alijs Animæ partibus, quam ſibi inquirendam propoſuit Philoſophus textu 1. huius lib. 3. docens quomodo fieret ipſum intelligere, ex quo deduxit Intellectũ impaſſibilem eſſe, impermixtum, ac ſimplicem, a corpore independentem, & per conſequens immaterialem,

ſepa-

ſeparabilem a corpore, atque immortalem, vt patet ex ijs quæ docuit a tex. 1. vſque ad 8. vbi enunciauit, intellectum ſeipſum intelligere, & conſequenter ſuper ſe ipſum reflectere, & tam multa de ſe, de ſuiq; cognitione intelligere, ac mouere quæſtiones, quot ſunt eæ quæ de intellectu diſputantur, ſiue ad ipſam intelligendi facultatem, ſeu actus, vel habitus pertineant; quæ omnia cum indicent intellectum immaterialem, eius etiam arguunt ſeparabilitatem, atque immortalitatem, quam non minus probant ea quæ docuit a textu 9. 10. & 11. vt patet ex dictis:

Hoc textu 12. incipit ſibi obijcere; & ex obiectis, obiectorumq; ſolutione manifeſtabitur magis, quæ ſit intelligentis Animæ differentia, & quomodo fiat ipſum intelligere, ex quibus etiam probabitur magis Intellectum immaterialem eſſe, a corpore ſeparabilem, & per conſequens immortalem.

Si Intellectus igitur ſimplex eſt, & impaſſibilis, alteriuſq; ordinis a corporibus quæ intelligit; & intelligere pati quoddam eſt, ideſt fit per receptionem ſpecierum intelligibilium, quæ ab obiecto in facultatem intelligentem deberent produci, quomodo poterit intellectus intelligere corpora, quibuscum non cōmunicat in materia; nec patiens poſſit quicquam recipiendo pati ab eo quod eſt inferio-

ris

ris ordinis, ſiue illud ſit deſtruens, ſiue etiam perficiens? Non enim corpus producere poteſt accidentia immaterialia, quales eſſe debent intellectiles ſpecies, ſi intellectus ſimplex, impermixtus, & immaterialis eſt, vt eius indicat propria operatio, quæ eſt ipſum intelligere, ad quam exercendam non vtitur inſtrumento corporeo.

Huic difficultati ſatisfacere incipiet Philoſophus [a], docẽs Intellectum eam habere cum obiecto proportionem, quæ ſatis eſt ad hoc vt Intellectus poſſit recipere intelligibilis obiecti ſpecies: quoniam potentia eſt quodcunque intelligibile obiectum, vt antea docuerat [b]. a Textu. 14. infra. b Tex. 3. 5. 6. & 8. ſupra.

Sed quia obiectum ipſum, quod corpus eſt, materiale cum ſit non poteſt ſui intelligibiles ſpecies producere in Intellectum, qui illarum eſt capax, a textu 17. in ea parte Animæ, qua intelligit Anima, & ſapit duplicem Intellectus differentiam ponit: quarum vna poteſt intelligens Anima fieri omnia, quæ eſt Intellectus in potentia: aliam qua omnia facit, quæ eſt Intellectus agens.

Atque ita hanc plenè ſoluit difficultatem, vt ſuo loco explicabimus. Neque neceſſe erit quicquam recipiendo pati Intellectũ a corpore, quod nõ poteſt producere immateriale accidens, cuius ſolius eſt capax Intellectus, cum ſit immaterialis, a corpore ſeparabilis, atque immor-

immortalis; corpus autem ſit materiale: cum quo licet Intellectus non communicet in materia; eam tamen cum illo habet proportionem, quæ ſatis eſt vt poſſit fieri intentionaliter, non realiter corpus vi intellectus agentis, qui facit producendo ſpecies intellectile eſſe corpus actù, quod potentia tantum erat intelligibile.

Textus XIII. Ἔτι δ' εἰ νοητὸς καὶ αὐτός· ἢ γὰρ καὶ τοῖς ἄλλοις ὁ νοῦς ὑπάρξει, εἰ μὴ κατ' ἄλλο αὐτὸς νοητός. ἓν δέ τι τὸ νοητὸν εἴδει, ἢ μεμιγμένον τι ἕξει, ὃ ποιεῖ νοητὸν αὐτὸν, ὥσπερ τὰ ἄλλα.

Amplius autem, ſi intelligibilis & ipſe. aut enim & alijs inerit intellectus, ſi non ſecundum aliud ipſe intelligibilis ſit, vnum autem quoddam ſpecie ipſum intelligibile, aut aliquid mixtum habebit, quod ipſum facit intelligibilem, ſicut alia.

Aliam dubitationem ponit Philoſophus. An ſcilicet Intellectus intelligat qua ratione intellectilis eſt; aut ſecundum aliam rationẽ. Si ſecundum eam rationem qua intelligibilis eſt intelligit, & alia etiam intelligent; quia in ipſis eadem intelligibilis ratio eſt, ſi intelligibile eſt vnum ſpecie.

Si autem alio intelligit, & alio intell gibilis eſt: non erit igitur Intellectus impermixtus, & ſimplex; atque ita non poterit alia a ſe intelli-

telligere: habebit enim rationem vnam in se aut innatam, aut ad eius substantiam pertinentem, quæ impediet quo minus alia intelligere possit. Intus [a] enim apparens prohibet & obstruit contrarium.

[a] Aristoteles lib. 3. de Anima tex. 4.

Ex cuius dubij solutione constabit magis Intellectum simplicem, impermixtum, atque immaterialem esse, a corpore separabilem, & per consequens immortalem.

Textus XIV.

Ἢ τὸ μὲν πάσχειν κατὰ κοινόν τι, διῄρηται πρότερον, ὅτι δυνάμει πῶς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς· ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν, πρὶν ἂν μὴ νοῇ. δεῖ δ' οὕτως, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ.

An pati quidem secundum communia aliquid diuisum est prius: quoniam potentia quodammodo est intelligibilia intellectus, sed actu nullum antequam intelligat. Oportet autem sic vt in tabula, in qua nihil est scriptum actu: quod quidem accidit in ipso intellectu.

Vt incipiat soluere dubitationem, quam proposuerat tex. 12. Aristoteles: quomodo scilicet Intellectus intelligere possit, si intelligere sit quoddam pati, quod non contingit nisi in ijs quæ aliquid commune habent: Cum verò Intellectus perficiente tantum passione, seu actione intelligendo patiatur, vt posfit fieri intelligibile obiectum secundum similitu-

dinem, & intentionaliter, sufficit vt sit potentia quodcunque intelligibile quod fieri debet. Et hanc proportionem debet habere patiens cum eo quod debet fieri, vt sit potentia illud quod fieri debet.

Intellectus autem potentia est quodcunque intelligibile; quia cuiusque intelligibilis est aptus recipere intellectiles species, quæ immateriales sunt; nec alicuius obiecti in se naturam, aut speciem congenitam, vel consubstantialem habet, quæ sit in sui essentia inclusa; sed est veluti tabula, in qua nihil est depictum actu, sed quæ sit apta recipere omnium rerum figuras, imagines, seu similitudines, quas impressas dicimus species, quæ etsi a corporibus non possint produci in intellectum, quia corpus est materiale, Intellectus autem immaterialis; in Anima tamen ponit infra Philosophus [a] aliam Animi differentiam, quæ est Intellectus agens, qui producat species in eum qui est possibilis Intellectus; qui postquã factus est intelligibile obiectum secundum similitudinem, aptus est intelligere ea obiecta quorum habet species.

a Textu 17.

Atque ita licet Intellectus qui possibilis est, sit immaterialis, simplex, & impermixtus, poterit tamen pati, & fieri intelligibile obiectum per receptionem specierum, non quæ producantur ab ipsis corporibus, quæ intelligun-

tur,

tur, quæ cum materialia ſint,& corporea,non poſſunt immaterialem, & incorpoream ſpeciem producere; ſed ab intellectu agente,qui item immaterialis eſt,atque incorporeus producuntur ſpecies.

Quamobrem ex eo quod pati debeat Intellectus intelligendo etiam materialia,& corporea obiecta, adhuc tamen incorporeus,& immaterialis, a corpore ſeparabilis, atque immortalis eſſe poterit.

Quod ſi ſenſibilia dicantur producere in ſenſum, ſeu ſenſorium formam ſine materia:

Id eſt, quia non producit verbi gratia Arbor in oculo Arborem,ſed ſimilitudinem, & ſpeciem Arboris, quæ non eſt corpus; & ideo dicitur eſſe forma ſine materia. Eſt tamen accidens, & a corpore productum, & in ſenſorio, quod corporeum eſt recipitur, ac ſuſtentatur; & propterea ſenſibilis ſpecies materialis eſt.

Verum intelligibiles ſpecies immateriales, atque incorporeæ ſunt; & ideo a principio quod eſt immateriale producũtur, & in ſubiecto etiam immateriali recipiuntur.

Quamobrem tam Intellectus agens, quàm Intellectus potentia, quem poſsibilem dicũt, immaterialis eſt, & per conſequens immortalis; vt indicat eius operatio, quæ eſt ipſum intelligere, quod demonſtrat intelligendi fa-

cultatem nec corpus eſſe, nec a corpore tanquam a recipiente, ac ſuſtentante ſubiecto dependere.

Contra verò ſenſatio, quæ fit inſtrumento corporeo, & ſenſibiles ſpecies a ſenſorio pendent, & in ipſo ſuſtentantur: & ideo ſenſus non poteſt eſſe ſine corpore; intellectus autem ſeparabilis eſt; vt docuit ſupra Philoſophus tex. 7.

Textus XV. Καὶ αὐτὸς δὲ νοητός ἐστιν, ὥσπερ τὰ νοητά· ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄνευ ὕλης, τὸ αὐτό ἐστι τὸ νοοῦν, καὶ τὸ νοούμενον. ἡ γὰρ ἐπιστήμη ἡ θεωρητικὴ, καὶ τὸ ἐπιστητὸν τὸ αὐτό ἐστι.

Et ipſe etiam intelligibilis eſt ſicut ipſa intelligibilia. In ijs enim quæ ſunt ſine materia, idem eſt quod intelligit, & quod intelligitur: Scientia namque ſpeculatiua, & ipſum ſcibile idem eſt.

Textus XVI. Τοῦ δὲ μὴ ἀεὶ νοεῖν τὸ αἴτιον ἐπισκεπτέον. ἐν δὲ τοῖς ἔχουσιν ὕλην, δυνάμει μόνον ἕκαστόν ἐστι τῶν νοητῶν. ὥστ' ἐκείνοις μὲν οὐχ ὑπάρξει νοῦς. ἄνευ γὰρ ὕλης δύναμις ἐστιν ὁ νοῦς τῶν τοιούτων. ἐκείνῳ δὲ τὸ νοητὸν ὑπάρξει.

Cur autem non ſemper intelligat, cauſa conſideranda eſt. In habentibus autem materiam potentia ſolum vnumquodq; eſt intelligibilium. Quare illis quidem non inerit intellectus. Sine materia enim potentia eſt intellectus talium. Illi autem intelligibile inerit.

Satiſ-

Satisfacit Philoſophus nũc Difficultatibus, quas propoſuerat tex. 13. docetq́; in ijs quæ ſunt ſine materia, & quæ ſimpliciter, & abſolutè ſui ſubſtantia intellectilia ſunt, idem eſt quod intelligit, & quod intelligitur: in ijs enim quæ ſui ſubſtantia, & eſſentia a materia abſtrahunt, idem eſt quod intelligit, & quod intelligitur: immateriale namque ſui ſubſtantia & intellectus eſt, & intelligibile obiectum.

Ea verò quæ materialia ſunt, ſe ipſis non ſunt intelligibilia, ſed ratione alterius, ſcilicet ratione ſpeciei, ſeu intelligibilis formæ.

Et ideo quæ materialia ſunt quamuis ſint intelligibilia, non tamen intelligunt; quia non ſui ſubſtantia, & eſſentia immaterialia ſunt, quod requiritur ad hoc vt aliquid ſimul ſit intelligens, & intellectile.

Atque ita ſoluta manet difficultas illa, quomodo ſcilicet non omnia quæ intelliguntur intelligant.

Confirmatq́; præterea Philoſophus in ijs quæ ſunt ſine materia idē eſſe quod intelligit, & quod intelligitur: quia ſcientia ſpeculatiua, & ipſum ſcibile idem eſt. Nam etiam in ijs quæ materialia ſunt, & per ſpecies intelliguntur, idem eſt ſcientia, & ſcibile: ſcientia namque in actu primo eſt intelligibilis ſpecies, quæ ſimul etiam eſt & intelligibile obiectum: quoniam ipſa ſpecie fit vltimo potens intelligere

intel-

intellectus, & materiale obiectum immateriale fit, atque intelligibile.

Quamobrem materiale obiectum non eſt aptum intelligere; quia non eſt per ſe, ſuiq; ſubſtantia intelligibile.

Obiectum verò immateriale ſicut ſui ſubſtantia intelligibile eſt, ſic & intelligere aptũ: atque ita omni intelligibili per ſe, ſuiq; ſubſtantia inerit intellectus; non autem inerit intellectus intelligibili per aliud; qualia ſunt corpora, corporibuſuè immerſa ita, vt ab ipſis eſſentiam ſumant.

Quod ſi quis hinc vellet inferre, ſpecies ipſas & intellectiles, & intelligentes eſſe:

Ita eſt, ſed non vt id quod intelligit, & quod intelligitur; verum vt id quo intelligit intellectus, & id quo intelligibile eſt obiectum.

Cur autem non ſemper intelligat quæ materialia ſunt obiecta intellectus, facilis eſt reſponſio: actù enim non eſt obiectum intelligibile, niſi poſt receptionem ſpecierum, per quas & obiectum intelligibile fit, & intellectus vltimò intelligere potens; non habet autem intellectiles rerum ſpecies niſi poſtquam aut didicit, aut inuenit.

Cur autem ſe ipſum etiam non ſemper intelligat, ratio eſt; quia in corpore exiſtens intellectus ſe ipſum intelligit, & quæcunque etiam immaterialia obiecta ad modum rerum cor-

porea-

poreatum, & per intelligibiles ſpecies illarũ, vt inſinuauit Ariſtoteles tex. 8. & infra[a] plenius explicabit, dum declarabit quomodo ſenſibilia obiecta fiunt virtute intellectus agẽtis intellectilia, & [b] peculiares modos tradet, quibus intellectus in corpore exiſtẽs intelligit.

[a] tex. 18.

[b] a tex. 21. & præſertim tex. 30 & 39. huius lib. 3.

Quare melius eſt intellectui ſine corpore quàm cum corpore eſſe; vt docuit idem Philoſophus tex. 49. lib. 1. de Anima. Extra corpus namque perfectiorem, ac puriorem exiſtendi, atque intelligendi modum habebit; nec vt ceſſet ab intelligendi actu neceſſe erit; ſicut in corpore exiſtens neceſſe eſt vt ab actu intelligendi abſtineat ſæpius: Nam in corpore exiſtens non incipit intelligere, niſi prius præeunte & externi, & interni ſenſus operatione, qui in ſomno communiter quieſcunt; & multis alijs modis impediri poſſunt quominus ſuam exerceant operationem, aut deficientibus ſpiritibus, aut impedito, vel deſtructo ſenſorio.

Neque etiam eſt neceſſarium, ſi intellectus ipſe intelligibilis eſt, vt aliquid mixtum habeat, per quod fiat intelligibile: nam in ijs quæ ſunt ſine materia, ſicut eſt intellectus, idem eſt quod intelligit, & quod intelligitur: Et quo perfectiori modo intelligibilia ſunt ea, quibus non ineſt materia, nec a materia dependent, eò perfectiùs intelligunt.

Quare

Quare perfectiori modo intelligunt Angeli; quas Intelligentias dicit Philoſophus, quã Animus noſter in corpore præſertim exiſtens. Et perfectiſſimo modo intelligit Deus, qui eſt ſua ipſius intellectio.

Cum autem Intellectus in corpore exiſtens ſe ipſum intelligat per ſpecies intelligibiles rerum ſenſibilium, ſeu corporum, quæ non poſſunt ſe ipſis producere ſpecies, quibus intelligantur, infra explicabit Philoſophus quomodo intellectus, qui potentia eſt intelligibile obiectum, fiat actù vltimò potens intelligere per ſpecies productas ab Intellectu agente, qui eſt alia Animæ differentia, quæ eſt apta facere intelligibilia actù, quæ tantum potentia intelligibilia erant.

Textus XVII. *Ἐπεὶ δ᾽ ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει ἐστί τι, τὸ μὲν ὕλη ἑκάστῳ γένει· τοῦτο δ᾽, ὃ πάντα, δυνάμει ἐκεῖνα. ἕτερον δ᾽ τὸ αἴτιον καὶ ποιητικὸν, τῷ ποιεῖν πάντα οἷον ἡ τέχνη πρὸς τὴν ὕλην πέπονθεν, ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς.*

Quoniam autem in omni natura eſt aliquid, hoc quidem materia vnicuiq; generi, id autem eſt quod potentia omnia illa, alterum autẽ cauſa, & factiuum, quod faciendo omnia quod ars ad materiam paſſa eſt: neceſſe eſt & in Anima has exiſtere differentias.

Textu autem hoc 17. ponit Ariſtoteles fundamen-

damentum, quo poſito excitatæ difficultates tex. 12. & 13. altius, atque profundius ſoluuntur, in Anima ipſa etiam ſecundum eam partem qua intelligit, & ſapit duplicem ponens differentiam, ſicut in omni natura: vnam ſecundum quam Intellectus eſt aptus omnia fieri, ideſt omnium rerum recipere intellectiles species; quibus ita perficitur, vt nihil recipiat, quod ad interitum diſponat, ſed recipit id quo & intellectus fit aptus vltimò intelligere, & obiectum intellectile. Species enim intellectiles rerũ ſunt id quo & intelligibile eſt obiectum, & intellectus intelligens: quæ ſpecies cum ſint immateriales formæ, neceſſe eſt in Anima ipſa aliam exiſtere differentiam, ſeu facultatem, quæ has producat ſpecies, quæ ſi ab ipſius Animæ facultate producantur, optimè ſaluatur quomodo intelligere ſit quoddã pati perficiens tantum, & non producatur ab obiecto corporeo, quod eſt materiale; ſed a potentia, quæ ſimplex ſit, impermixta, & immaterialis.

Quamobrem & intellectus qui eſt poſſibilis, intelligere poterit nihil a corporibus recipiens: & corpora ipſa intelligibilia fient, non tamen intelligent; quia illud ſolum eſt intellectile, & intelligens, quod eſt immateriale, ac impermixtum, nec dependens a corpore quoad ſui ſubſtantiam, & eſſentiam.

M Kαὶ

Textus XVIII. Καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς, τῷ πάντα γίνεσθαι· ὁ δὲ, τῷ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς. τρόπον γάρ τινα καὶ τὸ φῶς ποιεῖ τὰ δυνάμει ὄντα χρώματα, ἐνεργείᾳ χρώματα.

Et eſt quidam talis intellectus, quia omnia fit: quidam verò quia omnia facit; vt habitus quidam, quale lumen: quodam enim modo & lumen facit potentia exiſtentes colores actù colores.

Earumq; differentiarum, ſecundum quas Anima eſt apta omnia fieri, & facere, vnam Intellectum qui potentia, ſeu poſſibilem, aliã Intellectum qui agens eſt, dicit. Intellectus autem qui potentia, ſeu poſſibilis ea differentia Animæ eſt, quæ eſt apta omnia fieri intentionaliter, non realiter (ſpecies enim, quibus intelliguntur corpora, corporum ſimilitudines ſunt, non corpora) Non fit igitur omnia intellectus rerum omnium in ſe recipiens ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, ſed rerum ſimilitudines, quæ dicuntur res illa, cuius ſunt ſimilitudines: ſicut imago Cæſaris dicitur eſſe Cæſar.

Eodem igitur modo & intellectus agens dicetur omnia facere, non quod rerum omnium ſubſtantiam in poſſibilem intellectum producat, ſed intellectiles formas, quæ ſunt rerum ſimilitudines, quibus & obiecta intellectilia fiunt,

fiunt, & intellectus possibilis vltimò potens intelligere: postquam enim recepit species est aptus intelligere quoties aut Anima, aut Homo vult.

Arist. lib. 1. de Anima textu 55. & lib. 3. tex 8.

Quare & Habitui, & Lumini cōparat agentem Intellectum Philosophus. Nam quemadmodum habitus est principium producendi ipsum intelligendi actum; sic intellectus agēs est principium producendi species, quæ ab intellectu agente productæ sunt id quo intellectus possibilis fit vltimò potens intelligere, & in actu primo intelligens; sicut per [a] intellectionem ipsam est in actu secundo, & formaliter intelligens.

a Aristoteles lib 2 de Anima. tex 56.

Et ideo illud idem præstat possibili intellectui intellectus agens vt sit simpliciter, & absolutè potens intelligere intellectus possibilis, quod præstat habitus ad facilè, ac promptè operandum.

Et sicut lumen facit actù colores visibiles, qui in tenebris erant potentia tantum colores, scilicet visibiles: ita intellectus agens producendo species, facit obiecta intelligibilia actù, quæ antea erant potentia tantum intellectilia.

Aristo. textu 67. & 73 lib. 2. de Anima.

Atque ita apparet quomodo scibile, & scientia idem sint, quod tex. 15. huius tertij libri pronunciauit Philosophus, & 19. ac 27. repetit. Nam intellectilis species est id quo & intellectus est aptus intelligere, & per con-

ſequens ſcientia: & obiectum eſt aptum intelligi: & conſequenter res ipſa quæ intelligitur.

Ex quibus etiam ſoluitur prima difficultas, quam propoſuerat tex. 12. quomodò ſcilicet intellectus intelligat, ſi intelligere pati quoddam eſt; & Intellectus ſit impaſſibilis, ſimplex, & immaterialis, a corpore ſeparabilis, minimeq; in materia cum corporibus communicans: quia intellectus agens facit obiecta materialia actù intelligibilia producens ſpecies in eùm qui eſt potentia, ſiue poſſibilis intellectus. Et ideo nihil eſt quod impediat quominus Intellectus poſsibilis immaterialis ſit, a corpore ſeparabilis, & per conſequens immortalis; qui licet non ſit aptus recipere ſpecies ab obiectis, quæ in corpore exiſtens intelligit, quæ obiecta vel ſunt corpora, vel ad modum corporum concipiuntur, & per ſpecies intellectiles rerum ſenſibilium intelliguntur, recipit tamen intelligibiles, atque immateriales ſpecies ab intellectu agente, qui alia eſt Animæ differentia, ſimplex, impermixtus, immaterialis, atque immortalis.

Et ſecunda etiam difficultas textu 13. propoſita diluitur: quia etiam poſito quod intellectus qua ratione intelligibilis eſt, ſit etiam intelligens; non tamen corporibus, quibus conuenit vt intelligibilia ſint, conuenit vt intelligant: Intellectus enim intellectilis eſt ratione

tione suæ substantiæ, atque essentiæ; quæ immaterialis est, quia nec corpus est; nec ita in corpore existit vt ab illo dependeat; & sit illius facultas; sed est solius Animæ facultas, quæ qua ratione intellectiua simul est & intellectilis ratione sui, sicut Intelligentiæ, ac Deus.

Hæc enim omnia sunt sine materia; sed ab ipsa proximius, aut remotius recedunt, quo magis illis conuenit esse perfectiorem, aut imperfectiorem actum. quare perfectissimo modo Deo qui per essentiam existit conuenit vt sit sine materia, quia est actus purus nihil in se habens, quod aptum sit recipere perfectionem; atque ita a materia maximè recedens, quæ est pura potentia: a qua adhuc magis recedunt Angeli quàm Anima nostra, quæ licet sit immaterialis, adhuc tamen est actus corporis, & pars Hominis, cuius est ratio, etiamsi se ipsa intelligibilis, non autem ratione alterius sicut corpora. Et ideo corpora quamuis intellectilia sint, non tamen intelligunt; quia id non eis conuenit ratione eorum substantiæ, quæ materialis est, & fit tantum intelligibilis per species. Intellectus autem sine materia est, atque adeo in ipso idem est quod intelligit, & quod intelligitur, vt docuerat supra Philosophus tex. 15. ad hanc ipsam difficultatem soluendam.

Quod si dicas, Intellectum etiam in corpore exi-

re existentem intelligi per species rerum materialium: Ergo non est sui substantia, & essentia intellectilis.

Respondetur, id esse ratione modi existendi quem habet in corpore, in quo existens, omne intellectile ad modum corporis intelligit.

Verum si eius spectetur natura, substantia, & essentia, immaterialis est, & intellectilis tantum, aptusq; se ipso intelligere, & intelligi.

Aristot. lib. 1. de Anima tex. 49.

Quare melius est illi sine corpore quàm cum corpore esse: extra corpus namque perfectiorem existendi modum, & intelligendi habebit.

Atque ita soluta remanet etiam tertia difficultas textus. 13. quomodo scilicet Intellectus etsi intellectilis sit, adhuc tamen eius intelligibilitas non impediat quo minus aptus sit intelligere alia a se: Immaterialia namque, & purè intellectilia quo magis intellectilia sũt, eò magis & ipsa sunt apta intelligere se ipsa, & alia a se distincta.

Quod si Intellectus in corpore existens non se ipsum intelligat absque specie; id est ratione modi existendi quem habet in corpore, in quo & Deum ipsum, qui est actus purus, & suum esse ad modum corporis intelligit.

Kai

καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθής. Textus XIX.

Et hic Intellectus separabilis, & immistus, & impassibilis.

Affirmat de Intellectu agente Philosophus ipsum separabilem esse, & immistum; & impassibilem, quæ omnia Textu 3. 4 & 7. suprà de eo qui est possibilis intellectus affirmauerat: de intellectu enim qui est possibilis, quique ea pars Animæ est qua cognoscit Anima, & sapit, enunciauit tex. 3. impassibilem esse, susceptiuum autem formæ, idest intellectilis speciei: impassibilem verò esse, & susceptiuum formæ sibi inuicem pugnantia essent, nisi impassibilis nomine intelligeretur id, quod non patitur passione quæ destruat: illud enim secundum communem vsum strictè, ac simpliciter dicitur pati ex eodem Philosopho [a], quod recipiendo alteratur, & recipit id quo aut ad interitum disponitur, aut interitum subit: quia tunc pati secundum communem loquendi modum dicimur, cum aliquid naturæ nostræ repugnans, seu noxium recipimus: Nam quæ recipimus si nobis conferant, nosque perficiant, illa recipientes non dicimur pati, sed perfici; quamuis recipere sit quoddam pati, si ipsum pati in tota sua latitudine accipiatur.

[a] Lib. 2. de Anima textu 57.

Quan-

Quando igitur Intellectum impaſsibilem dicit tex. 3. eam paſsionem de ipſo negat, quæ eſt aut ad interitum diſponens, aut corruptio ipſa, vt ex eodem Philoſopho tex. 57. lib. 2. de Anima: ſicut hoc Textu 19. impaſſibilem dicit intellectum qui agens eſt; quia nihil recipere poteſt, quod eius moliatur interitum; & ideo immiſtus etiam, & ſeparabilis dicitur, & per conſequens immortalis; vti textu 4. intellectum qui potentia eſt immiſtum poſuit, & tex. 7. ſeparabilem a corpore, & per conſequens immortalem probauit.

Τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ.

Subſtantia ens actioni.

Cum de intellectu agente huius contextus initio enunciauerit Philoſophus ipſum eſſe ſeparabilem, & immiſtum, & impaſsibilem, quæ probauerat prius de intellectu qui poſſibilis eſt, quique ea pars Animæ eſt qua & cognoſcit Anima, & ſapit: hac ſecunda huius contextus 19. particula iterũ declarat magis quomodo intellectus agens non ſolum ab eo qui potentia eſt, ſeu poſsibilis intellectus; ſed etiam ab alijs agendi principijs diſtinguatur, docens ipſum ſui ſubſtantia eſſe ad agendum ordinatũ; & per conſequens ſpeciẽ ſumere ab actu; quod nõ conuenit omni agẽti principio.

Nam

Nam quemadmodum Intellectus qui potentia, seu possibilis dicitur, est ad recipiendum, quod est quoddam pati institutus: ita hic intellectus, qui est alia humani Animi differentia, est ad agendum, seu producendum species positus, & a Philosopho rationabiliter excogitatus vt producat intellectiles species in eum qui est potentia, seu possibilis intellectus; qui cum sit immaterialis, atque immistus, & superioris ordinis a corporibus quæ intelligit, non potest ab illis recipere intellectiles species, per quas determinetur ad illa eadem corpora intelligenda, vltimoq; fiat intelligere potens. Materiale namque accidens non potest recipi in subiecto, quod sine materia est, qualis est intellectus ex Philosopho tex. 15. & 16. huius lib. 3. Accidentia enim cum sumant speciem a subiectis, materiale, ac corporeum accidens recipi non potest in immateriali, incorporeoq; subiecto.

Igitur si intellectus intelligendo recipere debet intellectiles species, ne Auctor naturæ Deus in humani Animi productione defecisse videatur, eam in Anima excogitauit differentiam Philosophus, qua posset omnia intellectilia potentia actù intellectilia facere, intellectiles species in eum qui est possibilis intellectus producendo.

Qui Intellectus agens cum sit humani Ani-

mi differentia ſpeciem ab actu ſumens, a quo eſſentialiter dependet, Deus dici non poteſt: nam humanus Animus Deus eſſet, in compoſitionemq; rei creatæ veniret Deus, quod Actui puriſsimo, cuius eſſentia eſt eſſe, repugnat.

Nec vlla eſt in hoc contextu dictio, quæ Intellectum agentem Deum eſſe ſignificet.

Quod enim quidam hoc ſyllogiſmo malè ratiocinantes ex verbis Philoſophi concludere nituntur.

Cuius ſubſtantia actio eſt Deus eſt.

Intellectus autem agens eſt ens, cuius ſubſtantia actio eſt.

Ergo intellectus agens Deus eſt.

Redarguitur: quia Philoſophus non dixit. Intellectus agens eſt ens ſubſtantia actio, ita ut per reſolutionem fiat hic ſenſus.

Intellectus agens eſt ens, quod ens eſt ſubſtantia, quæ ſubſtantia actio eſt. Nam in propoſitione Philoſophi ſic reſoluta vt concludi poſsit intellectus agens eſſe Deus, & ſubſtantia, & actio debet eſſe caſus rectus. At ex textu græco manifeſtè conuincitur neque ſubſtantia, neque dictio, quæ in hanc latinam dictionē actio vertitur eſſe caſus rectus, ſed obliquus. Dictio namque, ἐνεργείᾳ, cum iota ſubſcripto, & articulo, τῇ, eſt dandi caſus, & obliquus, & vt aliquem poſſimus illi dare congruen-

gruentem ſenſum, latinè in ablatiuum; quo græci carent, vertitur.

Dictio etiam, ἀνεργείᾳ, cum iota ſubſcripto eſt item dandi caſus, & latinè eodem caſu accipitur, itaut ſenſus ſit. Intellectus agens ens ſubſtantia actioni, ideſt ens per eſſentiam actioni, ſeu ad actionem, vel etiam ad agendum relatum, quod omni agenti facultati, quæ ſpeciem ab actu ſumit, ab eoq; eſſentialiter dependet, conuenit. quod de Deo affirmare, cum ſit ſuum eſſe, & actus purus, omnibus rebus dans eſſe, nephas eſt.

Non eſt igitur neceſſarium, neque poſſibile ex verbis Philoſophi concludere Intellectũ agentem eſſe Deum; quia Intellectus agens eſt de genere illius agentis potentiæ, quæ ab actu ita pendet, vt ab eo ſumat ſpeciem, naturam, ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, quod primo enti, quod eſt cauſa cauſarum, totius eſſe fons, atque origo maximè repugnat, & aduerſatur.

*Ἀεὶ γὰρ τιμιώτερον τὸ ποιοῦν τοῦ πάσχοντος, καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ὕλης.*

Semper enim honorabilius agens patiente, & principium materia.

Poſtquam de Intellectu agente pronunciauit Philoſophus, ipſum ſeparabilem eſſe, & immiſtum, & impaſſibilem, eundem ens ſub-

N 2 ſtantia

ſtantia ad agendum dixit, vt probaret de eo, quod de intellectu potentia, ſeu poſsibili ſupra docuerat; agens enim qua ratione agens patiente honorabilius eſt: igitur intellectui agenti ea quæ in intellectu poſsibili perfectionem dicunt, non ſunt deneganda.

Eſt ergo intellectus agens etiam ſicut & poſsibilis, ſeparabilis, & immiſtus, & impaſsibilis.

Si autem intellectus agens Deus eſſet, vt quidam falsò ex Ariſtotele probare conati ſunt, poterat Philoſophus vnico verbo abſque comparatione ad intellectum qui eſt potentia id aſſerere; nec tantopere laborare debebat vt ipſum ſeparabilem, immiſtum, & impaſsibilem probaret; quem vt vidimus diſtinxit etiam ab omni agenti principio, quod non eſt ſui ſubſtantia ab actu dependens, & ad eundem tranſcendentaliter relatum.

Tantũ igitur abeſt vt voluerit Philoſophus dicere intellectum agentem eſſe Deum, dum ipſum ens ſubſtantia actioni pronunciauit, vt his verbis eum maximè a Deo diſcernat, qui eſt principium nulla ratione potens ab alio ſpeciem ſumere, ac dependere, cum ſit ſuum eſſe rebus omnibus dans eſſe & quicquid perfectionis habent, communicans.

Tò

Τὸ αὐτὸ δέ ἐστιν ἡ κατ' ἐνέργειαν ἐπιστήμη τῷ πράγματι.

Idem autem est secundum actum scientia cum re ipsa.

Ne quis autem instet contra Philosophum, agens, & principium nobilius esse patiente, & eo quod rationem patientis, ac materiæ habet verum esse quando actus quo agens agit, & patiens patitur, vel quod producit agens est illud idem quod patiens recipit; non autem diuersum:

Dicit, idem esse secundum actum scientiã cum re ipsa: quia scientia in actu primo sunt intellectiles species, quæ sunt res ipsa quæ intelligitur, quia sunt illius similitudo, seu imago; & sunt scientia, quia sunt id quo vltimò fit potens scire, & sciens in actu primo intellectus: quas species producens intellectus agens dicitur omnia facere; easdemq; recipiens intellectus possibilis, dicitur omnia fieri.

Est igitur idem actus secundum quem intellectus agens agit, & possibilis recipiendo patitur; idemq; est quod ab intellectu agente producitur, & in eo qui est possibilis intellectus recipitur, quod tex. 15. supra etiam adduxit ad probandum intellectum qui est potentia, seu ea pars Animæ, qua intelligit Anima, & sapit esse sine materia; & per consequens intelle-

tellectilem, & intelligentem, hanc etiam addens rationem, quia ſcientia ſpeculatiua, & ipſum ſcibile idem eſt. Nam intellectilis ſpecies qua ratione eſt id quo intellectus intelligit eſt ſcientia, qua ratione verò eſt id quo obiectum intelligitur, eſt res ipſa, ſeu obiectũ.

Quare idem eſt actus ſecundum quem, & ob quem intellectus agens dicitur agere, & intellectus qui eſt potentia pati.

Ergo ſi intellectus qui eſt potentia, immaterialis eſt, & a corpore ſeparabilis, immiſtus, atque impaſsibilis, qui intellectilium ſpecierũ, quæ ſunt ſcientia in actu primo receptiuus eſt; & intellectus agens qui eaſdem producit, impaſſibilis, immiſtus, immaterialis, & ſeparabilis erit, & per conſequens immortalis.

Neque hic pugnantia docet Philoſophus dum aſſerit, Intellectum qui eſt poſsibilis impaſsibilem eſſe, & pati: patitur enim quia ſpecies recipit, vt tex. 3. affirmauerat, quas recipiendo cum perficiatur tantum, dicitur eſſe impaſsibilis eodem tex. 3. quia pati ſecundum communem loquendi modum ſi ſtrictè, ac preſsè ſumatur, idem eſt quod alterari alteratione, quæ ad interitum diſponat, aut pati deſtruente actione, ſeu paſsione, vt ex eodem Philoſopho lib. 2. de Anima tex. 57.

Quod ſi dicas, Intellectum qui potentia eſt, ſeu poſsibilis dici immaterialem, quia eſt intel-

ligendi

ligendi principium non solum recipiẽdo species, sed etiam producendo & recipiendo ipsum intelligendi actum, qui cum fiat ab eodẽ intellectu absque instrumento [a] corporeo, est actus solius Animæ, & per consequens arguens ipsum intellectum sine materia, vt tex. 15. & 16. separabilem vt tex. 7. & per consequens immortalem.

a Arist. lib. 3. de Anima tex. 6.

Verum ad hunc actum non concurrit intellectus agens, sed tantum ad producendas species, quæ actu distincto producuntur.

Non igitur bene probat Philosophus intellectum agentem separabilem esse, immistum, & impassibilem, quia talis etiam est intellectus possibilis: Nam intellectus qui potentia est, seu possibilis se solo producit, & recipit intelligendi actum.

Respondetur, intellectiles species, quæ ab intellectu agente producuntur, & recipiuntur in intellectu qui est potentia, dici scientiam, & intelligendi actum causaliter, quia sunt illius principium: & cum recipiantur in intellectu qui est possibilis, & intelligit, ipsæ etiam species immateriales sunt, & per consequens arguunt eorum efficiens principium immateriale, immistum, impassibile, separabile, & per consequens immortale, vt optimè Philosophus: quare intellectus agens cum etiam dici possit idem esse re cum intellectu possibili, &

ratio-

ratione tantum ab eo distinctus; quia etiam ipse est intelligentis Animæ differentia qua ratione intelligens est, ex Aristotele lib. 3. de Anima tex. 17. si intellectus possibilis, immaterialis, separabilis, & per consequens immortalis dicitur esse, etiam intellectus agens separabilis, immistus, & impassibilis, & per consequens immortalis dicitur esse.

a Ar. lib. 3. de An. tex. 6.

Neque inter Peripateticos nouum est asserere genus, & differentiam in vna, eademq; re idem esse realiter, ratione autem distingui.

Igitur & has duas Animæ differẽtias inadæquatas distinctas in Anima ratione distincti officij, producendi nempe, atque recipiendi intellectiles species vnam esse adæquatam Animæ differentiam, quæ sit vna res realiter, multiplex autem ratione, vt de gradibus Metaphysicis quale est genus, & differentia non ignobiles, ac plebei Peripatetici philosophantur, asserere non est absurdum.

Non est igitur irrationabile, aut absurdum, intellectum agentem, & possibilem vnam, & eandem rem asserere, ratione tamen multiplicem.

Et ideo si intellectus qui est potentia simplex est, separabilis, immistus, & impassibilis; etiam intellectus agens erit separabilis, immistus, & impassibilis, tum quia eadem res dici potest cum intellectu possibili, vt aliquot non

infimæ

infimæ notæ Peripatetici : tum etiam quia vt docet Philoſophus intellectus agens producit intellectiles ſpecies, quæ ſunt res ipſa quæ intelligitur qua ratione illius eſt ſimilitudo, ſeu imago; & ſunt ſcientia ipſa, quatenus ſunt id quo intellectus eſt vltimò potens ſcire, vel ſciens etiam in actu primo.

Quare cum intellectiles ſpecies quæ producuntur ab intellectu agente ſint & res ipſa quæ intelligitur, & ſcientia ipſa, & recipiantur in intellectu poſsibili, idem erit actus qui producitur ab intellectu agente, & recipitur in eo qui eſt potentia. Atque ita ſi intellectus qui eſt potentia, ſeu poſsibilis eſt ſine materia, ſeparabilis, immiſtus, & impaſſibilis, etiam intellectus agens ſine materia erit, ſeparabilis, immiſtus, & impaſsibilis.

Ἡ δὲ κατὰ δύναμιν χρόνῳ προτέρα ἐν τῷ ἑνί. Textus XX.

Quæ verò ſecundum potentiam tempore prior in vno.

Vt inueniret Philoſophus intelligentis Animæ differentiam, inueſtigauit docens quomodo fieret ipſum intelligere, ex quo deduxit, intellectum qui eſt ea pars Animæ qua cognoſcit Anima, & ſapit, impaſsibilem, immiſtum, & immaterialem, a corpore ſeparabilem, & per conſequens immortalem: qui cum

intelligat recipiendo species intellectiles obiectorum, quæ sunt corpora, vel quæ ad modum corporum concipiuntur, dum est in corpore Anima, quãuis sint immaterialia obiecta; nec quod immateriale est quicquam recipere possit, quod producatur a corporeo, aut materiali obiecto, vel agente, in Hominis Anima rationabiliter excogitauit Philosophus aliam Animæ differẽtiam, quæ intellectiles species producens in intellectum qui est possibilis faceret omnia, quorum species recipiens intellectus posibilis diceretur omnia fieri, & hunc etiam agentem intellectum enunciauit separabilẽ, & per cõsequens immaterialem, atque immortalem, immistum, & impasibilem vt posset producere intellectiles species; quas producere non possunt corpora, quæ intelliguntur, cum materialia sint: agens enim qua ratione agens honorabilius est patiente, & principium materia, seu recipiente subiecto illud idem, quod producit agendi principium, seu efficiens: quod probauit asserens, scientiam secundum actum idem esse cum re ipsa, quia scientia est intellectilis species, quæ est res ipsa quæ intelligitur, & id quo intellectus fit vltimò scire potens: & per consequens est idem actus intellectus agentis, & illius qui est potentia intellectus. Et ita rectè deducitur, intellectum agentem separabilem, immistum, & impasſibilem

sibilem

sibilem esse, quemadmodum separabilis est, immistus, & impassibilis intellectus qui est potentia. Quare cum intellectus qui est agens, faciat intelligibile obiectum producendo species, faciet etiam intellectum intelligentem: nam intellectilis species est id quo intellectus intelligit; & per consequens scientia; & id quo obiectum intelligitur, & per consequens res ipsa quæ intelligitur, seu obiectum: & cum de scientia secundum actum locutus sit, vt melius quod de ipsa dixit intelligatur, quæ idem est cum re quæ intelligitur, & aliquo modo est scientia secundum potentiam, cum sit intellectilis species quæ non facit formaliter in actu secundo intelligentem intellectum, sed tantum in actu primo, docet quæ secundum potentiam est scientia in vno, eodemque intelligente priorem esse tempore scientia, quæ est actu: Et ideo hæc scientia secundum potentiam, quæ est prior tempore scientia quæ est secundum actum, non est id quo obiectum intelligitur, & res ipsa; prius enim tempore est aliquem posse intelligere, quàm intelligat, seu antequam habeat species, quibus ad intelligendum determinetur, vt patet in omni doctrina, & disciplina, quam addiscit, aut inuenit Homo. Nam multo tempore antea poterat quis scire quæ postea aut inuenit, aut didicit.

Igitur ſcientia quæ eſt potentia in vno, eodemq́; ſubiecto, ſæpè ſaltem, prior eſt tempore ſcientia quæ eſt in actu.

ὅλως δὲ οὐδὲ χρόνῳ.

Omnino autem neque tempore.

Nam cum ſcientia quæ potentia eſt duplex ſit, vt colligere poſſumus ex ijs quæ tex. 8. ſupra dixerat Philoſophus, & expreſſius lib. 2. de Anima tex. 55. & 56. vna ſecundum quam dici poteſt intellectus potens intelligere, antequam didicerit, aut inuenerit, quia non habet intellectiles ſpecies, quibus fiat vltimò potens intelligere, & determinetur ad intelligendum; & ſecundum hanc rationem accepta ſcientia ſecundum potentiam prior eſt tempore ſcientia quæ eſt ſecundum actum.

Alia verò ſecundum potentiam ſcientia eſt ex eodem Philoſopho ibidem, ſecundum quam eſt potens intelligere intellectus poſtquam iam didicit, aut inuenit, quia habet habitum, vel ſpecies intellectiles, quibus poteſt vti quando vult, & alio modo dicitur potentia ſciens atque eſſet antequam diſceret, aut inueniret; & hæc ſcientia ſecundum potentiam non eſt omnino prior tempore in eodem intellectu ſcientia ſecūdum actum: quia ſimulac producuntur intellectiles ſpecies ab intellectu agente, intellectus qui eſt poſsibilis eſt ſciens

in actu primo, & simul dum recipit species elicit intelligendi actum; atque ita simul est potens intelligere, & intelligens: & consequenter scientia quæ est secundum potentiam non est omnino prior tempore scientia quæ est secundum actum: Nam hæc de qua locuti sumus scientia secundum potẽtiam & est scientia, & res ipsa quæ scitur, & simul est cum intelligendi actu.

Non est igitur prior tempore scientia quæ est potentia ea quæ est actu, si scientia quæ est potentia accipiatur pro intellectili specie, secundum quam fit vltimò potẽs intelligere intellectus; & scientia quæ est actu accipiatur pro actu primo: quia hoc sensu idem est scientia secundum potentiam, & secundum actum. Neque etiam scientia quæ est potentia modo dicto est omnino prior tempore ea scientia quæ est actus secundus; quia simul ac recipit intellectiles species, per quas fit completè potẽs intelligere intellectus statim intelligit: quare scientia quæ est potentia non est omnino prior secundum totam suam latitudinem, & in quolibet casu sumpta ea scientia quæ est secundum actum.

Ἀλλ᾽ ὅτὲ μὲν νοεῖ. ὅτὲ δ᾽ οὐ νοεῖ. Aldi Impressio.

Sed aliquando quidem intelligit, non aliquando autem non intelligit.

Vulgata Editio.

Ἀλλ᾽ οὐχ ὅτι μὲν νοεῖ, ὅτι δ᾽ οὐ νοεῖ.

Sed non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit.

Arist. lib. 2. de Anima t. 55. & 56. & lib. 3. tex. 8.

Nam aliquando intelligit intellectus postquam recepit species; quia intelligit quando vult, cùm est potentia sciens postquam didicit, aut inuenit; non aliquando autem non intelligit; semper enim intelligit. dum primò recipit species ab intellectu agente, secundum quas fit vltimò potens intelligere: atque ita dum primò recipit species non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit (vt in vulgata textus tam græci, quàm latini lectione) sed semper intelligit.

Igitur scientia quæ est secundum potentiam non semper est prior scientia quæ est secundum actum.

Ex quibus intelligitur quomodò fiat ipsum intelligere, quæve sit differentia illius Animæ partis secundum quam cognoscit, & sapit Anima ab alijs Animæ partibus.

Est enim ea pars Animæ qua intelligit, & sapit Homo, Intellectus qui elicit intelligendi actum, ab eo qui est intellectus agens intellectiles recipiens species.

Quæ pars Animæ ideò impassibilis est licet recipiat species; quia illas recipiendo nihil noxium, aut destruens recipit, sed perficitur, vt

ex Aristotele huius libri contextu 3. & lib. 2. de Anima textu 57. diciturq; immistus tex. 4. vt possit omnia intelligere; & ideo etiam immaterialis debet esse: quod enim intelligit, & intelligitur sicut intellectus sine materia est ex eodem Philosopho tex. 15. & 16. & a corpore separabilis, quia non vtitur instrumento corporeo ad intelligendum, vt tex. 6. & 7. huius tertij libri.

De quo Intellectu cum iam probatum sit impassibilem, immistum, a corpore separabilem, atque immortalem esse; explicatumq; sit in genere quomodo possit intelligere in corpore existens quantũ satis erat ad cognoscendum intelligentis Animæ differentiam, & quomodo fiat ipsum intelligere; ex quibus deduxit Philosophus intellectum separabilem, immistum, & impassibilem esse, vt respondeat tacite quærenti quomodo intellectus separatus intelligere posset, asserit,

*χωρισθεὶς δέ ἐστι μόνον τοῦθ᾽ ὅπερ ἐστί.*

Separatus autem est solum hoc quod quidem est.

Scilicet quando iam separatus est intellectus hoc solum est quod est, idest dicit sui substantiam, & esse, cuius contemplatio non est Physicæ, sed Metaphysicæ opus, vt ex tex. 26. lib. 2. Phys. & 17. lib. 1. de Anima docuit Philoso-

loſophus ad oſtendendum quomodo de Anima contẽplari non vnius,ſed multiplicis ſcientiæ opus eſſe poſſit. Et ideo non eſt hic explicandum quomodo intellectus a corpore ſeparatus intelligat.

*Καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον.*

Et hoc ſolum immortale, & perpetuum.

Et hoc quod remanet poſt Hominis mortem a corpore ſeparatum ſolũ immortale eſt, & perpetuum, quæ eſt concluſio deducta ex ijs omnibus quæ docuit Ariſtoteles de ea parte Animæ, qua cognoſcit, & ſapit Homo: quod inueſtigauit, & inuenit docens quomodo fieret ipſum intelligere, ex quo deduxit intellectum impaſſibilem, immiſtum, immaterialem, a corpore ſeparabilem, & per conſequens perpetuum,& immortalem, vt hic tanquam probatum recipit; quod quærendum ſibi propoſuerat tex. 12. & 13. libri primi de Anima.

*Οὐ μνημονεύομεν δὲ ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθές, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτός, καὶ ἄνευ τούτου οὐθὲν νοεῖ.*

Non reminiſcimur autem,quia hoc quidem impaſsibile eſt. paſſiuus verò intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit.

De quo intellectu ſeparato ſi quis vlterius quæreret, an ipſo reminiſcamur poſt mortem, ne-

negat Philosophus. Nam reminiscentia non est sine imaginatione, seu phantasia, quæ corrumpitur, & sine qua reminiscendo nihil intelligit intellectus, ex Aristotele hic, & tex. 64. & 66. lib. 1. de Anima, colligiturq; ex ijs quæ docet de memoria, & reminiscentia. Quam & Alexander Aphrodisiensis lib. 3. Quæstionum cap. 1. sic definit.

Reminiscentia est inuentio per inquisitionem phantasmatis, quod fuit quandoque in corpore, in quo est Anima sensitiua.

Quæ imaginatio, seu phantasia licet intellectus passiui nomine significetur, quia aliquã cum intellectu similitudinem habet, illiq; inseruit tanquam ea potentia, cuius actus prærequiritur ad hoc vt intellectus in corpore existens intelligere possit: Non est tamen ea pars Animæ, qua cognoscit, & sapit Homo, vt S. Thomas [a], Philoponus [b], Themistius [c], & Auerroes [d] docent. Nam de hoc intellectu qui passiuus dicitur affirmat Philosophus corrumpi posse.

Intellectum autem qui est ea pars qua intelligit, & sapit Homo, hoc tex. 20. immortalem, & perpetuum dixit, textu 3. impassibilẽ, tex. 4. immistum, tex. 5. potentem recipere omnium rerũ intelligibilium intellectiles species, quod etiam tex. 3. insinuauerat, tex. 6. ita immistum esse, vt nulla possit corporea actio-

a p. p. q. 79. art. 2. ad secundum.

b in expositione huius tex. 20. lib. 3. de Anima, & in proemio ad hos libros.

c lib. 3. de Anima c. 28. & 35.

d lib 3. de Anima cap. 3.

ns immutari neq; ratione suæ substantiæ, & essentiæ, nec ratione aliquorum organorum quæ requiruntur ad intelligendum.

Ex quo sequitur ipsum habere propriam operationem, ad quam exercendam non vtatur instrumento corporeo; & per consequens immaterialem esse, & a corpore separabilem; vt tex. 7. quod indicat præcipua eius operatio, quæ est ipsum intelligere, quam exercet post receptionem specierum (quæ specierum receptio magis[a] salus quam passio dicenda est) quando vult, itaut possit etiam seipsum intelligere, vt tex. 8. quod est signum potentiæ a corpore separabilis, vt tex. 25. huius libri tertij: atque ita intellectus est id quod intelligit, & intelligitur; quod est esse immateriale, vt Philosophus tex. 15. & 16. qui & tex. 9. 10. & 11. idem confirmauit, quia intellectus intelligit non solum ea quæ sunt sine materia, sed etiam quæ in materia sunt immersa[b], considerando in ipsis rationes rerum distinctas ab ipsis rebus, quod est signum potentiæ immaterialis, a corpore separabilis, & per consequẽs immortalis, vt eius indicat præcipua operatio non solum in rebus metaphysicis, sed & in rebus physicis, ac mathematicis cognoscendis; quam operationem vt exerceat, obiecta materialia quodammodo immaterialia reddit (intellectilium specierum ab intellectu agente rece-

a Arist. l. 3. de Anima t. 57.

rece-

receptione, post quarum receptionem intelligendi actum producit, cuius terminus est verbum mentis, quod est species expressa, & imago rei quæ intelligitur) distinguendo essentiam ab ea re cuius est essentia, quod nõ est alicuius corporeæ facultatis opus, sed separabilis, & immaterialis, & consequenter immortalis, vt indicat præcipua eius operatio, quod est ipsum intelligere. Contra quæ obijciens Aristoteles tex. 12. & 13. obiectisq́; [a] satisfaciens magis confirmat intellectum immaterialem esse, aptumq́; intelligere, & intelligi, etiamsi intelligere sit quoddam pati, idest fiat per receptionem intellectilium specierum, quas licet non recipiat ea pars Animæ qua intelligit, & sapit Homo ab ijs quæ intelliguntur corpora, recipit tamen ab alia Animæ intelligentis differentia, quæ est intellectus agens, qui item separabilis, immistus, & impassibilis est, sicut intellectus qui est potentia seu possibilis, qui a corpore separatus existere est potens, vt ex ijs quæ a tex. 1. huius lib. 3. vsque ad hunc 20. probat, & concludit Philosophus, vbi tanquam proprio loco de ea parte Animæ qua intelligit, & sapit Homo probauit a corpore separabilem, & separatam perpetuam, & immortalem esse, quod hoc textu 20. tanquam probatum, & certò conclusum accipit.

[a] tex. 14. 15. 16. 17. & 18.

Idque congruit etiam ijs quæ dixit sparsim

multis alijs operum suorum libris, vt tex. 49. lib. 1. de Anima, melius intellectui esse sine corpore quàm in corpore esse. Tex. 65. in corpore produci, & non corrumpi. Tex. 92. eiusdem libri, difficile esse fingere quam corporis partem contineat intellectus ita, vt ipsa scilicet ad intelligendum vtatur: Contingit enim ipsum à corpore separari sicut perpetuum a corruptibili, vt textu 21. lib. 2. de Anima. Quamobrem in generatione non educitur e materiæ sinu, sed extrinsecus aduenit, vt lib. 2. de generatione Animalium cap. 3. & per consequens immaterialis erit intellectus aptus se ipso intelligi, & intelligere, vt tex. 15. & 16. huius lib. 3. de Anima. quod signum est intellectum habere propriam operationem, quæ sit solius Animæ, non autem & habentis, idest corporis, vel Animalis, vt textu 66. lib. 1. de Anima: quod congruit ijs quæ docuit Philosophus tex. 6. & 7. lib. 3. quæ Animam a corpore separabilem, immortalem, & perpetuam demõstrant: quæ remanet post Hominis mortem, vt tex. 17. Diuinorum 12. & primo Ethic. cap. 11. vbi post mortem miseros aliquos, felices alios enunciat. quæ cum post Hominis interitum maneat, in ortu etiam quamuis in corpore producatur, vt tex. 65. lib. 1. de Anima, a corpore tamen non dependet, neque ex materiæ potentia educitur, sed extrinsecus

acce-

accedit, vt lib. 2. de generatione Animalium cap. 3. & ideo non corrumpitur vt tex. 65. lib. 1. de Anima.

Sunt & alia loca quæ ad hoc idem probandum conducunt, vt tex. 26. lib. 2. Phyſ. lib. 8. Metaphyſ. tex. 3. cap. 2. lib. 2. Topic. lib. 1. de partibus Animalium cap. 1. & 1. Ethic. cap. 10. Plura lege apud alios.

Et hanc de Animi immortalitate Philoſophi ſententiam quam explicauimus, præcipui eius Interpretes, ac magni nominis Peripatetici ſequuntur.

Nec quicquam qui contrarium in ſententia Philoſophi aſſerunt ex ijs Patribus qui idem ſenſerunt auctoritatis eorum ſententiæ addere poſſunt.

Nam primis Eccleſiæ temporibus Platonis philoſophia (paucos ſi excipias) magis fuit accepta Patribus: quare nec tanti faciebant Ariſtotelem, vt vellent ad eius ſcripta intelligenda tantam adhibere diligentiam, quanta fuiſſet ſatis vt ex Ariſtotelis ſententia intellectus humani immortalitatem probatã cognoſcerẽt, quam ex Sacris Eloquijs tam apertè didicerant, & quæ Philoſophorũ etiam qui præcipui, & tanquam aliorum Magiſtri cenſebantur auctoritate receptiſsima erat, ac neceſſaria ſuadebatur ratione: quibus neglectis neceſſe eſt mores ex animo relegari omnes, nihili

hili faciendas virtutes, religionem omnem ex Hominum mente deleri, Fidem, Spem; ac Caritatem inania esse sine rebus nomina; Et tandem (quod etiam Animus referre horret) sine prouidentia, & iniustum Deum fingere; quod ij faciunt qui nihil sanctum, sacrumq; censent, vt possint sine metu Brutorum instar in omnem sensuum cœnosam voluptatem ferri: quod nulla natio quæ moribus viuat admittere potest, quamuis veræ fidei non sit imbuta præceptis.

Quamobrem cum tantum postquam est cœpta explicari in scholis doctrina Philosophi eius auctoritas creuerit, vt nihil ignorasse in rerum natura dicatur ab ijs qui sapientes habentur, non est negligendum quærere quid de immortalitate humani Animi senserit Aristoteles, ne ex illius doctrina maiora, & peiora incommoda, & detrimenta experiatur Ecclesia, quàm olim passa, & experta sit ex Platonis Philosophia, vt quidam [a] asserunt, qua deceptus Origenes, librum qui Periarchon inscribitur composuit, qui hæresum semina continet, quibus Arrius, Manes, Sabellius, Eunomius Ecclesiam vexarunt, vt cum Hieronymo [b], & Epiphanio [c] grauissimi testantur Interpretes; Nec leui sunt argumento quæ in Quinta Synodo Generali [d] contra Origenem anathemata proferuntur.

a Tertullianus in libro de Anima circa medium.

b In Epist ad Pammachiũ, & Oceanum de erroribus Origenis.

c Hæresi 64.

d Tomo 2. Conciliorũ.

Qua-

Quare nunc etiam omni conatu eniti, & totis viribus obſtare debemus ne quis iniuria eum quem Parentem Philoſophiæ omnes ferè dicunt Ariſtotelem, temerario auſu impietatis omnis ac ſacrilegij auctorem facere, vel etiam fingere non modò moliri, ſed nec etiam experiri conetur, aut tentare præſumat.